APPENDIX

HERMENEUTICAE

SEU

EXERCITATIONES EXEGETICAE.

AUCTORE

JOHANNE JAHN,

PHILOS. ET THEOL. DOCT., ECCL. METROPOL. AD S. STEPHANUM VIENNAE CANON. CAPIT., ARCHIEPISC. CONSISTORII CONSILIAR., OLIM. L. L. O. O. ARCHAEOL. BIBL. INTROD. IN V. T. ET DOGM. PROF. CAES. REG. P. ET O.

FASCICULUS I.

VATICINIA DE MESSIA.

VIENNAE, 1813.

IN LIBRARIA CAMESINAE.

Τȣτο γαρ φρονεισϑω εν ὑμιν, ὁ και εν Χριστῳ Ιησȣ, ὁς εν μορφῃ ϑεȣ ὑπαρχων, ȣχ ἁρπαγμον ἡγησατο το ειναι ισα ϑεῳ, αλλ᾽ ἑαυτον εκενωσε, μορφην δȣλȣ λαβων, εν ὁμοιωματι ανϑρωπων γενομενος, και σχηματι ἑυρεϑεις ὡς ανϑρωπος· εταπεινωσεν ἑαυτον, γενομενος ὑπηκοος μεχρι ϑανατȣ, ϑανατȣ δε σταυρȣ. Διο και ὁ ϑεος αυτον ὑπερυψωσε, και εχαρισατο αυτῳ το ονομα το ὑπερ παν ονομα· ἱνα εν τῳ ονοματι Ιησȣ παν γονυ καμψῃ επȣρανιων και επιγειων και καταχϑονιων, και πασα γλωσσα εξομολογησηται, ὁτι κυριος Ιησȣς Χριστος εις δοξαν ϑεȣ πατρος. Philipp. 2, 6 — 11.

Amico suo - e - S. D. auctor.

Grata mihi vehementer est memoria nostri tua, quam significasti literis: quam ut conserves, non quo de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo. - - - Me scito, dum tu absis, quasi occasionem quandam et licentiam nactum scribere - - et cetera quidem fortasse, quae etiam tu concederes: sed proxime scripsi de optimo genere dicendi (interpretandi et nunc libellum quaspiam interpretationes exhibentem), in quo saepe suspicatus sum, te a judicio nostro, sic scilicet, ut doctum hominem a non indocto, paullulum dissidere. Huic tu libro, maxime velim ex animo, sin mi-

nus, gratiae causa suffragere. Dicam tuis, ut eum, si velint, - - ad te mittant. Puto enim, etiam si rem minime probaris, tamen in ista solitudine, quidquid a nobis profectum sit, jucundum fore. Quod mihi existimationem tuam, dignitatemque commendas, facis tu quidem omnium more; sed velim sic existimes, me, cum amori, quem inter nos mutuum intelligam, plurimum tribuam, tum de summo ingenio, et de studiis tuis optimis, et de spe amplissimae dignitatis ita judicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos *).

*) Cicero Epist. ad divers. L. XIII. 17.

Praefatio.

Lectores, quibus has vaticiniorum explicationes scripsi, sunt juvenes viri theologi, qui auditoriis philologiae orientalis egressi, sacras literas non, ut turba multorum, seponunt, sed sibi carissimas habent, et porro perscrutari contendunt. Joh. 5, 39. Rom. 15, 4. 2 Tim. 3, 10 — 17. His ut subvenirem, non pauca inserui, quae, si eruditis scripsissem, praetermittenda fuissent, illis autem, quibus inprimis libellum hunc dedico, erunt, opinor, grata et accepta, uti explicationes verborum obviorum; fusiores non-

nunquam expositiones derivationis notionum; plures verborum adductae notiones, quae quidem proprie ad hunc locum non pertinent, sed nihilominus notandae sunt; porro verborum Arabicorum et Aramaeorum notiones non solum Hebraicis consentientes, sed etiam ab iis discrepantes; frequentiora monita, vocem vel notionem uni alterive dialecto deesse, et quae alia sunt similia; nam haec omnia non parum conferunt, ut natura et indoles linguae Hebraicae, et non solum convenientia, sed etiam discrepantia dialectorum cognatarum perdiscatur, cujus utriusque cognitione subtilis philologus carere neqnit. Quia tamen video tractationem per haec ipsa in nimiam fere molem accrevisse, in sequentibus explicationibus, si tamen eas prosequi datum fuerit, horum parcior ero. — In eorundem commodum loca quoque historicorum profanorum, quae vaticinia illustrant, verbotenus adduxi, quia novi, plerisque deesse libros, in quibus loca allegata relegere possent· — Sch'va autem quiescens in vocibus Hebraicis omissum est ad sublevandum typothetam, et ad minuendos typi

errores, quod lectores etiam minus exercitatos nullatenus impediet.

Pluribus quidem reipublicae philologiae proceribus hae vaticiniorum de Messia enarrationes, quae mihi verisimillimae videntur, parum probabuntur; verum et meo mihi uti licebit judicio. Sententias, quas de his lucubrationibus in ephemeridibus literariis ferent, placide exspecto. Laudem non anhelo, et vituperium non perhorresco; nam et illam et hoc aequo animo ferre didici. — Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, Messias Jesus; an superstruxerim aurum, argentum et lapides pretiosos, an vero lignum, foenum et stipulas, tempus docebit.

Si vaticiniis his sufficientem inesse claritatem ostendi, ut fortasse quibusdam videatur major, quam revera insit, fuisse illata: meminerint, me in ipso hoc opusculo non semel fuisse professum, uti et rursus profiteor, vaticinia non esse tabulas, seu picturas historicas, sed tenues futurae historiae

umbras paucis lineamentis signatas, quae quidem sufficiunt ad rem significatam ab aliis discernendam, sed colores et lumen ex historia exspectant; qui itaque prohibet, ne historia cum vaticiniis conferatur, idem agit, ac si tenebrarum amans, lumen ex loco obscuro arceret. Si igitur vaticinium collata historia, luce perfunditur, lux haec non ab interprete accenditur, sed ab historia diffunditur; nec ideo interpres contendit, id omne vaticinio edici, quod historia suppeditat. Distinguendus enim est sensus vaticinii ab illustratione ejusdem historica, quam autem non negligere, profecto est interpretis, qui sensum non tantum eruit, sed etiam illustrat. Si enim historia, succincte enarrata, merito illustratur per fusius scriptam, cur non vaticinia, adumbrationes futurae historiae, eodem jure per historiam, postquam contigit et scripta est, illustrentur? Verum hac de re plura dixi in Introductione ad SS. LL. V. F. P. II. T. II. §. 77 — 82. p. 344 — 377., quae non repetam. Id modo addendum conseo, Deum etiam in revelatione, quam dicunt naturalem, quae fit per res creatas et humanam rationem, eun-

dem obscuritatis modum tenere, et per hoc ipsum homines ad diligentem et rectum rationis usum excitare. — Deum unicum, creatorem et moralem mundi physici et moralis gubernatorem, existere, per monita imbecillitatis et inopiae humanae, per rationem et opera naturae sapientissime disposita non nisi obscure manifestatum fuisse, testatur antiqua et recentior humani generis historia, quae luculenter docet, olim omnes gentes, solis exceptis Hebraeis, fuisse, et hodiedum permultas esse idololatriae et polytheismo addictas, et ipsos quoque philosophos Graecos non agnovisse nisi quemdam mundi architectum, qui autem gubernationem universi, vel fato, vel animae mundi, et administrationem rerum sublunarium et hominum diis concesserit; taceo non defuisse, qui omne numen negarent. — Vitam aliquam post mortem esse secuturam, animo hominis infixum esse videtur, quam et omnes fere gentes praesagiverunt, verum adeo obscure, ut absurdissimas fabulas confinxerint, et philosophi quoque Graeci eam partim prorsus negarint, partim solis reipubli-

cae rectoribus, promiserint, vel non adeo probitati vitae quam philosophiae studio deputarint, quo animus omnibus terrenis abdicatis, quasi gravi pondere levatus, post mortem suapte levitate in puriores aëris regiones sursum feratur, donec eo pertingat, ubi in aethere, levitati ipsius respondente, consistat *); imo nec ipsi antiqui Hebraei, etsi Deum, justum omnium gubernatorem edocti, discernere valuerunt, sortem animorum post mortem, pro ratione probitatis vel inprobitatis, fore felicem vel infelicem. — Ipsam quoque doctrinam moralem primum duntaxat per stimulos naturales obscure insinuatam, et demum per experientiam et usum rationis, non sine frequenti errore, fuisse auctam et excultam, quis neget? — Si itaque Deus per revelationem naturalem veritates gravissimas nonnisi tenuiter et obscure manifestavit et, ut ita dicam, duntaxat leniter innuit, ac hominum solertiae illustrandas obtulit: non est, quod mire-

*) Cicero Tuscul. Qu. I. 72 — 75 vel 30 — 31.

mur, si per supernaturales et extraordinarias quoque revelationes, tenues duntaxat rerum futurarum et ipsius quoque Messiae adumbrationes prophetis suppeditavit. Si divina operatio in rebus naturalibus, quas ad excolendum hominem praeparavit, adeo parca fuit: profecto in supernaturalibus, in quibus aliunde eam non abundare, antiquum est theologorum et philosophorum axioma, profusa liberalitas expectari nequit, ut itaque vaticinia, res futuras historice repraesentantia, immerito flagitentur, quae non raro opere compleri nequidem potuissent. Hac obscuritate revelationis supernaturalis non minus ac illius naturalis, humana provocatur ratio, ut ea, quae meditanda proponuntur, perscrutetur, et meditatione illustret. Ipsa quoque nonnunquam clarior revelatio supernaturalis, uti e. g. existentiae creatoris et gubernatoris omnium, permulta hominis investigationi eruenda reliquit. Nam revelatio quaevis, sive naturalis, sive supernaturalis, non fuit impertita hominibus, ut rationem humanam redderet inertem et otiosam, sed ut eam excitaret, exerceret, et hac exer-

citatione ad veritatem clare cognoscendam perduceret. 1 Petr. 1, 10 — 12. 2 Petr. 1, 19 — 21.

Verum audio, quid dicatur et persaepe dictum sit, vaticinia scilicet non praebere argumenta, quae hominem plene convincant etiam de illa veritate, quam aliunde credit, nempe Jesum esse promissum Messiam. — Id non est aliud, quam quod philosophi sceptici reponunt dogmaticorum argumentis pro existentia Dei creatoris, pro providentia divina, pro immortalitate animae, et aliis veritatibus, quas tamen nequaquam negant, sed illis argumentis reddi verisimillimas confitentur, easque credunt, quas dogmatici demonstrasse sibi videntur; neque etiam hi ipsi philosophi dogmatici responso scepticorum moventur, sed studia sua majori contentione prosequuntur, approbantibus ipsis scepticis, ut veritates hae eo magis firmentur, quatenus fieri potest reddantur verissimillimae, et fortasse aliquando omni dubitationi locus praecludatur. Cur non idem agat interpres vatici-

niorum? Si argumenta, ex vaticiniis ducta, non sunt demonstrationes, profecto non sunt minoris momenti, quam argumenta philosophica, quae pro veritatibus gravissimis adduci solent; utraque nempe summae, quae haberi potest, verisimilitudini innituntur. Id adprime perspexerunt antiquiores theologi, qui non de demonstratione, sed de motivis credibilitatis loquebantur; prout ego ipse olim juvenis in praelectionibus theologiae audivi, et in antiquioribus theologorum libris persaepe legi. Et profecto ita comparata est natura hominis et omnis vita humana, ut ad praebendum assensum et ad agendum, non requiratur, nisi aliqua major verisimilitudo et probabilitas: serimus, plantamus, commercia tractamus, iter, etiam maritimum decernimus, genus vitae seligimus, amara medicamenta bibimus, et quaecunque parvi et magni momenti negotia aggredimur, etsi nonnisi probabilitati innixi, haec omnia exspectationi responsura. Qui ea, qua major haberi nequit, probabilitate non movetur, sed in om-

nibus demononstrationem postulat, omnem vivendi et agendi rationem evertit, nec sanae mentis esse convincitur. Locum omnino habet, quod scribit Cicero Tusc. Qu. I. 69.: „an si omnia ad intelligendum „non habeo, quae vellem, ne iisdem quidem, „quae habeo, mihi per te uti licebit?" — Si quaepiam vaticinia sunt obscuriora, plerumque sunt ejus generis, ut, si clariora essent, opere compleri non potuissent; ubi hoc non obstabat, clara, imo etiam quaepiam clarissima sunt vaticinia, uti de propagatione verae religionis ad alias gentes, de eversione Ninives et Babylonis, de exilio, et de reditu ex captivitate Babylonica, cujus quoque tempus definitum fuit. Dicam itaque cum Cicerone de Fin. IV. 67.: „utrum igi„tur tandem perspicuis dubia aperiuntur, „an dubiis perspicua tolluntur? vos autem, „cum perspicuis dubia debeatis illustrare, „dubiis perspicua conamini tollere." — Verum non id mihi sumo, ut lites theologorum et philosophornm dirimam, sed illis duntaxat, quibus has explicationes vaticiniorum scripsi, juvenibus viris theologis

aperiendum censui, quid hac de re sentiam. Sunt itaque, qui omnia vaticinia paucis explodunt, et praeclarum nescio quid adeptos se esse putant, quod didicerunt, omnes prophetas fuisse impostores, qui se a Jehova, a quo missi non erant, missos et edoctos esse mentirentur, et praesagia sua pro eloquiis divinis venditarent; alii vaticiniis plenam vim probandi seu demonstrandi tribuunt, quam contra adversarios tueri vix possunt. Ego dicam cum Cicerone: „Peri„pateticis respondetur a Stoicis; digladien„tur illi, per me licet, cui nihil est necesse, „nisi ubi sit illud, quod verisimillimum videatur, anquirere." — Id modo omittere non possum, rem esse majoris, quam fortasse creditur, momenti, vaticinia omnia in ordinem humanorum praesagiorum redigere, nullam in iis virtutem divinam agnoscere, et argumentis, quae ex ipsis depromuntur, omnem probandi vim denegare; nam etiam promissio felicitatis aeternae est vaticinium, et quid de hac statuetur? Si autem haec promissio est primum et solum divinum vaticinium, vereor, ne de com-

plemento, si nulla alia divina vaticinia opere completa praecesserunt, dubia moveantur. Id saltem planum est, hanc gravissimam promissionem divinam per illa antiquiora vaticinia, opere completa, multo firmiorem reddi et facilius nobis persuaderi.

Dedi 22. Novembris 1812.

Exercitationes exegeticae in vaticiniis Messiam promittentibus.

Loca Veteris Foederis, quae Messiam annunciant, enarraturus, non illam ingrediar viam, ab aliis tractatoribus tritam, qui a vaticiniis antiquissimis, ad rudem illam humanitatis infantiam conformatis, ideoque minus definitis, et hinc obscurioribus inchoarunt, atque inde ad reliqua per sequentem seculorum seriem progressi, in singulis ea, quae in Novo Foedere leguntur, si non omnia, saltem pleraque quaesiverunt. Hi mihi quidem videntur non absimiles illis, qui ex plena luce, in qua versantur, se subito spississimis tenebris committunt, et ex his rursus repente in plenam lucem regrediuntur; sicut enim his acies oculorum repentina hac luminis mutatione ita obtunditur, ut et in tenebris et in luce nihil adcurate discernant: ita quoque illis tractatoribus, ex claritate historica Novi Foederis ad antiquissimas, indefinitas et obscuras promissiones transilientibus, et ab his rursus mox ad historiam Novi Foederis redeuntibus, obfuscatum fuisse videtur lumen mentis, ut vel nullam Messiae

promissionem agnoscerent *), vel vaticinia quaelibet eo usque torquerent, donec ea placitis suis conformia redderent.

Quemadmodum autem, qui ex luce pededentim in loca obscura, et demum obscuriora progreditur, ubique, et etiam cum in spissiores tenebras devehitur, aliqua saltem obscure discernit: ita quoque, si a vaticiniis recentioribus, quae sunt clariora, coeperimus, et paulatim ad antiquiora, minus definita et obscuriora, usque ad antiquissima progrediamur, non tantum in Prophetis, aetati Jesu proximis, sed etiam in remotioribus, et fortasse in remotissimis quoque antiquitatis tenebris aliqua discernemus, si modo adjuncta temporum, rationem sentiendi cuilibet aetati propriam, ideas rerum conversione effictas atque inde pendentes loquendi formulas diligenter expenderimus, et praeterea memores simus, vaticinia non esse, nec esse posse narrationes historicas, uti in Introduct. in LL. SS. V. F. P. II. §. 80. ostendi. Itaque a postremo

*) Dr. Ammon Entwurf einer Christologie des A. T. 1794. p. XII. Vorrede, postulat, ut praedictum sit: „Israel hat keinen König, sondern einen Lehrer „zu erwarten; dieser wird unter Herodes zu Bethlehem „geboren; er wird für die Wahrheit seiner Religion unter „Tiberius sein Leben aufopfern; durch die Zerstörung „Jerusalems und die gänzliche Vernichtung des jüdischen „Staats breitet er seine Lehre in allen Welttheilen aus." Haec partim Jesu, qui se regem dixit, et ideo crucifixus est, non conveniunt, partim praedicta sunt, ut eversio Ierosolymorum, partim praedici et simul compleri non potuerunt, conf. Introd. meam in V. T. P. II. §. 80.

Propheta ordiar, et demum antiquiora ordine retrogrado vaticinia perscrutabor, neque tamen ubique me huic inverso temporis ordini adstringam, sed, ut res ipsa postulat, vaticinia etiam tempore distantia, argumento tamen similia, dilatis interim intermediis, tractatione jungam, et ita inter se comparata majori fortasse lumine collustrabo.

Quae in Novo Foedere de Messia docentur, ad hanc quidem meam scriptiunculam proprie non pertinent, proderit tamen decerpere et praemittere ea, quae communem Judaeorum aetate Jesu sententiam produnt, ut appareat, spem venturi Messiae illa aetate fuisse pervulgatam, et ex antiquis vaticiniis deductam. Quae ex recentioribus libris, uti ex Paraphrasibus Chaldaicis, ex Thalmude, ex libro Zohar, ex quarto libro Ezrae et similibus aliis petuntur, praetermitto; nam vel communi Judaeorum sententiae, qualis in Novo Foedere sistitur, prorsus consentiunt, eamque duntaxat illustrant, de quo hic sermo esse nequit, vel nonnulla addunt, detrahunt, aut inmutant, et suspectae sunt fidei; vigentibus enim Christianos inter et Judaeos litibus sententia Judaeorum de Messia nequaquam mansit eadem, qualis aetate Jesu fuit, ut vel duplex Messias, quem recentiores statuerunt, satis ostendit, praeterquam quod nonnisi singulares auctorum opiniones, et nequaquam communem Judaeorum sententiam complectantur, ne addam et illud, Zohar et librum quartum Ezrae esse libros non paucis suspectos. Neque coaevi Apostolis Judaei Josephus et Philo, ubi aliquid amplius referunt, aliud quid-

piam quam peculiares suas sententias promere censendi sunt. Quare vulgarem Judaeorum sententiam duntaxat ex Novo Foedere adferam, quam paucis pro instituto complector.

Spem venturi Messiae actate Jesu fuisse vulgarem, satis comprobant omnia illa N. F. loca, in quibus refertur, Johannem Baptistam, Jesum et ejus discipulos, annunciantes, adpropinquare regnum coeli seu Dei, mox ab omnibus fuisse intellectos, quin ulla quaestio moveretur, quid id sibi velit. Nec solum generatim aliquando, sed etiam illa praecise aetate venturus exspectabatur promissus olim Messias, prout clare elucet ex narratione Evangelistarum, jam Johannem, jam Jesum a multis fuisse creditum Eliam praecursorem, aut ipsum Messiam, Matth. 16, 14. 17, 10 — 13. Marc. 6, 15. 8, 28. 9, 11 — 13. 4, 20. 9, 8. 19. Non erat haec vaga plebis duntaxat opinio, sed ipsum quoque supremum nationis tribunal, synedrium dictum, legatione missa ad Johannem Baptistam, eandem sententiam prodit Joh. 1, 19 — 28. conf. Joh. 10, 24. Matth. 26, 63. Marc. 14, 61. Luc. 22, 66. 70. Porro Simeon ille senex, eruditus et Rabbi celeberrimus, probabilius idem, qui in Thalmude justus et pater Gamalielis salutatur, et a Josepho Archaeol. XIV. 9, 4. XV. 1, 1. 10, 4. sub nomine Sameas ab acceptis divinis revelationibus laudatur *), Luc. 2,

*) Conf. Michaelis Anmerk. für Ungelehrte zur Uibers. des N. T. 1790. Th. I. S. 373 — 378. et Jahn's Bibl. Archaeol. II. Th. II. B. §. 116. S. 12 — 13.

25—32. divinitus edoctus fuisse refertur, se adhuc vivente Messiam nasciturum. Ipsi quoque rebelles in Romanos Judaei, testante Josepho de B. J. VI. 5, 4., spe adventuri indies Messiae pertinaciores redditi, usque ad internecionem decertarunt. Ad alias quoque gentes late disseminatam fuisse hanc Judaeorum hac aetate sententiam, innuit adventus magorum orientalium ad praesepe Jesu, Matth. 2, 1 — 12. *); vix enim astrologi, quales sine dubio erant, de nato rege Judaeorum cogitare potuissent, nisi spem nationis, hac aetate complendam, a Judaeis accepissent. Vulgatam inter ethnicos etiam occidentales fuisse hanc Judaeorum illa aetate exspectationem, disertis verbis scribit non solum Josephus Arch. X. 10, 4. 11, 7. et de Bell. J. VI. 5, 4., sed etiam Tacitus Hist. L. V., et Suetonius in Vespasiano 4., qui ambo referunt, universim viguisse sententiam, antiquis sacerdotum literis contineri, ut valesceret oriens, et esse in fatis, ut profecti Judaea rerum potirentur. Idem innuit etiam Suetonius in Claudio 25., cum scribit, Judaeos impulsore Chresto (Christo seu Messia, nempe venturo), assidue tumultuantes, Roma expulit, conf. Tacit. Annal. II. 85. et Act. Ap. 18, 4.

Ex his simul liquet, eam illam aetate communem de Messia fuisse ideam Judaeorum, quam ipsa vox

*) Ethnicos fuisse hos magos orientales, i. e. Arabes, patet ex proposita quaestione; nam quaerere non potuissent, ubi natus sit rex Judaeorum, si et ipsi Judaei fuissent.

מָשִׁיחַ, unctus, seu rex inauguratus, proxime suggerebat. Exspectabant nempe, fore regem ex prosapia Davidis oriundum, et huic pientissimo et potentissimo victori similem, per quem sese a gravi Romanorum jugo liberandos et in libertatem vindicandos, atque regnum amplissimum adepturos esse sperabant, conf. Joh. 6, 15. 12, 13. Marc. 11, 9 — 10. Hinc et promissio divina Luc. 1, 32 — 33., ut intelligeretur, verborum involucro in hunc eundem obvium sensum concepta est. Huic sententiae ipsi quoque Apostoli usque ad adscensionem Jesu obstinate addicti erant, Act. 1, 6. conf. Matth. 20, 21. Marc. 10, 37.; Matth. 18, 1 — 4. et Marc. 9, 34. ac Luc. 9, 46. 22, 24 — 27.; Matth. 19, 27 — 29. et Marc. 10, 28 — 30. ac Luc. 18, 28 — 30. Atque id sine bellis cogitare non poterant; quare Messiam fore, exemplo Davidis, belliducem et victorem confidebant, praesertim cum quaepiam vaticinia, per se sola spectata, suffragari viderentur. In hanc sententiam loquitur Zacharias Luc. 1, 69 — 70. et 74., quamquam etiam pacem demum secuturam memorat Luc. 1, 79. Saniora sensit ille, supra memoratus, senex Simeon Luc. 2, 30 — 32. et 34 — 36., atque doctor hic celeberrimus profecto non paucos habuit discipulos et asseclas. Sublimiora de Messia docet Johannes Baptista; nam et victimam pro peccatis fore, et Judaeos puniturum esse annunciat, atque eminentem quoque ejus dignitatem laudat, Joh. 1, 26 — 28. 29 — 30. et 35 — 36. Matth. 3, 7 — 12. Luc. 3, 16 — 17. Verum etiam reliqui doctorem religionis Mosaicae fore Messiam credebant, uti

non solum illa mulier Samaritana Joh. 4, 19 — 21., sed omnes etiam illi testantur, qui doctrinam Jesu, ut Messiae, excipiebant, etsi de regia ejusdem dignitate nec minimum prospicere poterant. — Communem denique etiam fuisse sententiam, Messiam non solum prophetam futurum, sed etiam miracula patraturum, liquet tum ex responso Jesu Matth. 11, 3 — 6., tum ex repetita Pharisaeorum petitione, ut Jesus signa et prodigia de caelo edat, Matth. 12, 38. 16, 1. Marc. 8, 11. Luc. 11, 16., quod quidem ex natura rei, quae missionem divinam miraculis et vaticiniis confirmari postulat, colligebant. Denique Messiam omnes prorsus Judaeos in regnum suum collecturum, ethnicos autem, saltem sine circumcisione, exclusurum, firmiter credebant, quod ex quibusdam locis, neglectis aliis, quae diserte contrarium eloquuntur, extorquebant, et recte refutat Paulus in Epistola ad Romanos c. 1 — 11. conf. Act. 15, 1 — 15. Galat. 2, 11 — 16. Haec pauca hactenus sufficiant; nam reliqua tractandi, aut saltem, quatenus materia requiret, attingendi, occasio in sequentibus occurret.

Jam quaeritur, an antiqua vaticinia hoc omne annunciaverint, vel an non Judaei quaepiam vaticinia interpretatione perverterint, vel de Messia interpretati sint loca, quae de ipso non agunt, vel alia de illo agentia perpendere omiserint, vel vaticinia diversa conparare; ut verum sensum reperirent, neglexerint, aut saltem, cupiditate bonorum temporalium abrepti, attentionem suam in ea fere sola fixerint, quae talia promittere videbantur, et alia, etsi clara vatici-

nia, quae perversis exitium minabantur, minoris, quam par erat, aestimarint, nec ea animi contentione, qua oportebat, expenderint. Quare jam transgredimur ad postremum Prophetam Malachiam; nam deuterocanonicos illos libros, qui a Malachia usque ad Jesum, a Judaeis scripti sunt, jure transimus; vaticinia enim de Messia non complectuntur, et quae alia de spe Judaeorum attingunt, generalibus terminis expressa sunt, ut 1 Macc. 4, 46. Jesu Sir. 36, 13 — 17. 44, 21 — 23. Tob. 14, 6 — 7.

Malach. 2, 17 — 3, 6. et 13 — 24 *).

Ut Malachiam rite intelligamus, sollicitius investigandum est, quae fuerit rerum illa aetate conditio, et qualis Judaeorum sensus. — Prophetae antiquiores, qui ante et paulo post eversionem Jerosolymorum Messiam eminus visione optica prospexerunt, tempus adventus, quod in prospectu suo discernere non poterant, fere conjungebant cum futuro Hebraeorum ex captivitate reditu, quem praedicebant, ut Amos 9, 1 — 10 — 15. Hos. 3, 1 — 5. Mich. 4, 1 — 7. 5, 1 — 4. Jes. 60, 1 — 22. Jer. 23, 1 — 8. 30, 4 — 11. 33, 1 — 26. Ezech. 34, 10. 37, 15 — 28. et 21, 27 vel 32. Hinc exulantes conceperunt spem fore, ut interveniente opera secundi Davidis, sub cujus imagine Messias ab illis Prophetis adumbratus fuit, in patriam reducerentur, atque Jerusalem et templum magnificentissime restitueretur, ut Jes. 60 — 61. legitur, quod

*) Conf. Jahn Einleit. in die göttl. BB des A. B. II. Th. §. 163 — 165. S. 685 — 690.

cum demum aliter cecidisset, non omnibus, etsi Jesaias c. 45, 8 — 13. praecavit, adridebat; quam ob rem plurimi in locis, in quibus jam diuturno tempore degebant, manere, quam in patriam redire maluerunt. Qui autem reversi sunt, promissionum nequaquam immemores, Messiam et conditionem illam splendidam anxie exspectabant, nec morae satis patientes erant, uti ex paucis historiae, quae supersunt, monumentis facile colligimus, si modo teneamus, sensa et vota hujus generis, ne domini eorum Persae offenderentur, planis verbis promi et scribi non potuisse. Ex sermonibus Haggai 2, 1 — 8. coll. 20 — 23. elucet, Zerubabelem, profecto cum aliis non paucis, optasse et ferme sperasse, paulo post et se adhucdum vivente secuturam esse liberationem a jugo Persarum, quam Messiae tribuisse videtur. Visiones Zachariae c. 1 — 6. fere omnes eo tendunt, ut colonos Hebraeos, de implemento vaticiniorum sollicitos et subdubitantes, nec satis quietos, redderent tranquilliores; hinc revolutionem per Alexandrum, quam Haggai 2, 6 — 8. et 20 — 23., ut praecessuram adventum Messiae, paucis describit, Zacharias copiosius adumbrat c. 9, 1 — 8.; ast quia tempus ejus in visione optica e longinguo non discernebat, pacificum hunc et afflictum, sed tamen salvum regem, c. 9, 9 — 10., medium inter Alexandri bella c. 9, 1 — 8. et Maccabaeorum victorias, c. 9, 10 — 10, 12., inseruit. Desiderium Messiae elucet quoque ex fletu seniorum, qui olim juvenes templum Salomonis viderant, et nunc jactis fundamentis observabant, novum aedificium multo minus magnificum fore, quod per

Messiam restituendum magnificentissimum speraverant, Ezr. 3, 11 — 13. conf. Jes. 60, 5 — 20. et 61, 4 — 9. Multo clarius id patet ex fragmento historico, quod aetate Ezrae scriptum, sed Neh. c. 7 — 10. insertum est, ubi coloni Hebraei Neh. 9, 36 — 37. conqueruntur, se adhuc nunc in patria sua, quam Deus majoribus eorum concesserat, esse servos, seu subjectos Persis. — Vaticinium Danielis c. 9. quidem aliud eos docere potuisset, sed, quia praeter aedificationem urbis et templi, aliud nihil laetum annunciabat, negligebatur. Patriam nunc suam inhabitantes et colentes, tota mente defixi erant in laetas illas promissiones Messiae, quas Prophetae cum reditu ex captivitate conjunxerant, et quarum complementum nunc desiderabant. Hae inquietae querimoniae temporis progressu minime sopiebantur, sed incrementa capiebant non exigua, praesertim ex eo, quod Haggai 2, 6. 20 — 23. praedixerat, unicam duntaxat regnorum revolutionem restare, et quidem paulo post secuturam (מְעַט הִיא), et demum templum thesauris gentium multo futurum splendidius, quod isti turbidi, inprimis, ut ex Malach. 3, 3. coll. 1, 6. 2, 9 — 16. adparet, posteri Levi, seu sacerdotes et Levitae, de spoliis, Messiae victoriis in templum inferendis, interpretabantur, cujus tamen adventus jam ultra 130 annos tardabat. Has querelas, etsi specioso titulo coloratas, Malachias mox in exordio libelli c. 1, 2 — 5. profligat, cum ostendit, coecos aut ingratos esse, qui non, vel exemplo Edomitarum, videant, singularia sibi obtigisse et obtingere Dei beneficia. Quum autem

hoc nihil proficeret, sed querulos redderet audaciores et inportuniores adeo, ut Deum, qui adventum Messiae retardando cultores suos sub jugo Persarum, inania numina colentium, relinqueret, injustitiae accusare non vererentur: Malachias ipsos sequenti acriori sermone corrigit, et edocet, alium prorsus fore adventum Messiae, quam quem sibi promitterent; disertis verbis edicit, Messiam nequaquam fore bellatorem, qui gentes expugnet et Judaeis subjiciat, sed judicem, qui Judaeos perversos puniturus et internecione deleturus sit. Sed jam enarremus sententias singulas, et demum versione subjuncta sensum exponámus, atque rem, quae subest, perscrutemur.

Malach. 2, 17.

הוֹגַעְתֶּם יי׳ בְּדִבְרֵיכֶם וַאֲמַרְתֶּם בַּמָּה הוֹגַעְנוּ, fatigatis Jehovam sermonibus vestris; ast dicitis: quo fatigamus? seu: molesti estis Jehovae sermonibus vestris; ast interrogatis: quibus sumus molesti? — Hac formula Malachias solet ordiri reprehensiones suas, ut sententiam praemittat, et quaestionem Judaeorum subjungat, cui dein effatum divinum subjicit, ut 1, 2. 6. 3, 7. 13. — הוֹגִיעַ fatigavit, laborem altori creavit, molestus fuit, IV. a יָגַע laboravit, se defatigavit, fessus fuit, cui affine est وَجَعَ et وَجِعَ doluit, dolore correptus fuit, doluit ex capite. Alexandrinus non male vertit οἱ παροξυνάντες et παρωξύναμεν, id solum carpendum, quod non observaverit, Hebraicum Aoristum primum esse prae-

sens perfectum, de quo consule meam Gramm. Lingu. Hebr. ed. III. §. 67. §. 204 — 206.; negligentia autem haec in observatione temporum, omnibus antiquis et plerisque recentioribus interpretibus communis est, quod semel notasse suffecerit.

בֶּאֱמָרְכֶם כָּל עֹשֵׂה רָע טוֹב בְּעֵינֵי יי וּבָהֶם הוּא חָפֵץ, in dicendo vos, seu cum dicitis: omnis faciens malum, bonus est in oculis Jehovae, et in his sibi complacet. Ex בָּהֶם, in his, elucet, praecedens membrum esse collectivum, et vertendum: omnes facientes malum a Jehova probantur, et his favet. —— Bonum vel rectum esse in oculis alicujus, est ipsi probari, placere, ut e contrario malum esse in oculis alicujus, est ipsi displicere, ab ipso reprobari, Gen. 38, 10. Exod. 21, 8. 1 Sam. 8, 6. 1 Reg. 3, 11. Lev. 10, 19. Jos. 22, 33. 1 Sam. 18, 26. 2 Sam. 17, 4. — — חָפֵץ voluit, cum Beth constructum complacuit sibi, delectatus est Gen. 34, 19. 1 Sam. 18, 22. 19, 1. 2 Sam. 20, 11. Hoc loco de effectu complacentiae, de favore et beneficiis collatis, capiendum esse, res ipsa ostendit. Ceterum חָפֵץ, hic adjectivum participiale esse, adparet ex adjecto הוּא, quod Verbo non additur, adjectivo autem additum supplet verbum substantivum. Conferendum est cum حَفَضَ inflexit, unde חָפֵץ intransitive, quasi inflexus, inclinatus fuit, seu voluit, delectatus est, complacuit sibi.

אוֹ אַיֵּה אֱלֹהֵי הַמִּשְׁפָּט, aut ubi est Deus judicii? i. e. puniens inprobos, uti ex sequen-

tibus c. 3, 2. 3. 5. liquet; aliunde notum est, שָׁפַט et מִשְׁפָּט comprehendere cognitionem caussae, pronunciationem et executionem sententiae, absolutionem aut condemnationem rei, et poenam a judice inflictam, ut 1 Sam. 3, 13. Gen. 15, 14. 1 Reg. 20, 40. Jer. 8, 21. 47. 51, 9. Hab. 1, 4. Zeph. 3, 15.

Quamquam inter Judaeos illius aetatis, ut et alias nullo non tempore, non pauci fuerint inprobi inpuniti, hos tamen his querimoniis non peti, tum adjuncta temporis, tum sequentia docent, ex quibus etiam elucet, turbidos hos Judaeos multo plura conquestos fuisse, quae Propheta his verbis generatim sistit. Ex subjuncta enim reprehensione et comminatione liquet, commotos fuisse, quod Deus non mitteret Messiam, qui ethnicos Persas puniat, et Judaeos, colentes Deum, a jugo ipsorum liberet; id autem disertis verbis dicere et scribere, non leve periculum creare potuisset. Inprobi itaque, quibus hi Judaei Deum favere querebantur, sunt Persae, non Judaei. Nec illi, qui ita Deum injustitiae accusabant, censeri possunt, ut opinatus est Dathius, probi et pii Dei cultores, qui profecto providentiam divinam magis reveriti fuissent, aut saltem non in has blasphemas querelas erupissent. Omne dubium tollit c. 3, 16., ubi audaces hi providentiae reprehensores opponuntur reverentibus Deum et saniora sentientibus. Hinc garruli hi esse non possunt alii quam illi Judaei quamplurimi, qui externo cultui divino dediti quidem erant, et per hunc se promeruisse opinabantur, ut a dominatione Persarum liberati, aliis gentibus dominarentur;

ast non didicerant, divinam Majestatem intimo sensu venerari, et providentiae se totos firma committere fiducia, sine qua vana est omnis religio.

Malach. 3, 1.

Jam sequitur responsum divinum: הִנְנִי שֹׁלֵחַ מַלְאָכִי וּפִנָּה־דֶרֶךְ לְפָנָי, ecce ego mittens legatum meum, et ipse evacuabit viam ante faciem meam. In Futuro vertendum esse, et Vau ante הוּא supplere Relativum, contextus et substrata materia docet, ac sequentia confirmant: ecce mittam legatum meum, qui praeparet viam ante me. Desumta est sententia a regibus orientis, qui, iter ingressuri, olim et hodiedum praecursorem praemittunt, qui adventum annunciet, et viam praeparet, ut in Bibl. Arch. (Germ.) II. Th. II. B. §. 169. S. 235. docuimus. Deus autem venire dicitur, cum insignia beneficia confert, vel supplicia exigit, conf. Jes. 40, 3—5. 9—11.; adventus ergo Dei hoc loco est, ut sequentia docent, missio Messiae. — מַלְאָכִי est quidem nomen nostri Prophetae, sed hoc loco adpellativam esse ejus significationem, non tantum contextus, qui de futuro tempore agit, sed etiam v. 23. ostendit, ubi hic legatus dicitur mittendus aliquando Elias Propheta. Id perspexerunt omnes antiqui interpretes; nullus enim nomen ut proprium retinuit, sed omnes verterunt ut appellativum, cujus radix in sola Aethiopica dialecto superest cum notione misit; nam IV. Arab. أَلْأَكَ misit, videtur esse denominativa, deducta a nomine מַלְאָךְ, quod cum notione angeli seu legati non solum in Arabicam, sed etiam in Syriacam dialectum

immigravit. — פָּנָה II. notione privativa a facie (פָּנִים) removit; hinc evacuavit, et de via usurpatum, viam ab impedimentis vacuam fecit, seu praeparavit, quod fit auferendo lapides, explendo hiantia, complanando eminentia, faciendo compendium per devia etc. Hoc loco, ut v. 3. explicatur, moralis hominum praeparatio ad excipiendum tantum hospitem intelligitur. Prima verbi forma פָּנָה (a פָּנִים, facies) notat faciem aliquo vertit, se aliquo convertit, respexit, rediit, se avertit, abiit, periit, quocum convenit فني periit, evanuit. In hac prima forma legit olim Alexandrinus, qui επιβλεψεται vertit, uti etiam Theodotio, qui tamen in quibusdam codicibus exhibet ἑτοιμαζει, Symmachus σχολαζει, vacat. — לְפָנָי ante faciem meam, seu ante me, mutatum legitur Matth. 11, 10. Marc. 1, 2. Luc. 7, 27. in: ante faciem tuam, προ προσωπου σου, ut sententia responderet materiae substratae; quare concludi nequit, variantem subesse lectionem, cujus nec in codicibus, neque in versionibus ullum deprehenditur vestigium.

וּפִתְאֹם יָבוֹא אֶל הֵיכָלוֹ הָאָדוֹן אֲשֶׁר אַתֶּם מְבַקְשִׁים וּמַלְאַךְ הַבְּרִית אֲשֶׁר אַתֶּם חֲפֵצִים הִנֵּה בָא אָמַר יְיָ צְבָאוֹת׃ et repente veniet ad templum suum Dominus, quem desideratis, nempe legatus foederis, quem expetitis; ecce veniet, ait Jehova omnipotens. — פִּתְאֹם repente, subito, aliquam relationem habet ad פָּתָה, simplex, inprovidus fuit; quod enim repente fit, inprovidis accidit; ceterum notio hujus

Adverbii in aliis locis per contextum definitur, ut Jos. 10, 9. 11, 7. Num. 12, 4. Jer. 4, 2. 6, 26. 15, 8. 18, 22. 51, 8. Alexandrinus recte vertit ἐξαίφνης, et Syrus מֶן שֶׁלְיָא subito, minus adcurate vulgatus statim, Chaldaeus obscurius בִּתְקֵיף, cum vehementia, quod ex sequentibus sumsisse videtur. — יָבוֹא Chaldaeus incongrue vertit יֵעוּל intrabit, nec tamen sibi constat; nam sequens בָּא reddit אָתֵי, veniens. — הֵיכָל est omne majus aedificium, palatium, unde هَيْكَلَ magnus, procerus fuit, et هَيْكَل aedificium sublime, palatium, templum, dein etiam omnis res magnae crassaeque molis. Hebraeis jam significat palatium regis Prov. 30, 28. Jes. 39, 7. Dan. 1, 4., jam palatium Jehovae seu templum, et quidem vel integrum cum atriis 1 Reg. 24, 23. 2 Paral. 3, 17., vel solum Sanctuarium 1 Reg. 6, 5. 17. 7, 50. Templum nostro loco omnes veteres reddiderunt, nisi quod Syrus minus adcurate verterit לְהַיכְלֵיה דמׇריא, et similiter Arab. إِلَى هَيْكَلِ الرَّبِّ ad templum Domini.

וּמַלְאַךְ הַבְּרִית, et legatus foederis; praefixum Vau esse exegeticum nempe, quilibet facile videt. Quid autem sibi velit legatus foederis, ignorare se fatetur Michaelis in Annot. germ. ad h. l.; Bauerus in Scholiis, sub nomine Schulzii editis, vertit: legatus promissus, addita obiter ratione, quia בְּרִית, foedus, etiam pro promissione, quae foederi inest, veniat; ast phrasim hanc, aut ei similem

hoc unquam sensu usurpari, exemplis non docuit, nec doceri potest; nam Ezech. 30, 5. בְּנֵי אֶרֶץ הַבְּרִית, filii regionis foederis, nequaquam sunt filii seu incolae regionis promissae, sed incolae regionum foederatarum, uti parallelum membrum סֹמְכֵי מִצְרַיִם, fulcientes, seu adjuvantes Aegyptum, clare ostendit, ut recte observavit Rosenmüllerus in Schol. ad h. l. Ita etiam Gen. 14, 13. בַּעֲלֵי בְרִית, domini foederis, sunt confoederati, quibuscum foedus intercedebat; Obad. 7. אַנְשֵׁי בְרִיתֶךָ viri foederis tui, i. e. confoederati tui; Malach. 2, 14. אֵשֶׁת בְּרִיתֶךָ, foemina foederis tui, i. e. confoederata, seu foedere matrimonii tibi juncta; sicut inversa constructione Lev. 26, 45. בְּרִית רִאשֹׁנִים foedus antiquorum, est foedus cum antiquis; Deut. 4, 31. בְּרִית אֲבֹתֶיךָ foedus patrum, seu majorum tuorum, est foedus cum majoribus ictum. Itaque ex manifesto usu loquendi legatus foederis, מַלְאַךְ הַבְּרִית, est legatus, quocum foedus pactum est. Articulus voci בְּרִית praefixus certum aliquod, in vulgus notum, et celebre foedus innuit, quod reapse per omnes libros celebratur, ut Hagg. 2, 5. Zach. 9, 11. Ps. 74, 20. 78, 10. 50, 8. 105, 8 — 11. Jer. 11, 2 — 8. 22, 9. 31, 32. 34, 8. Jes. 24, 5. 33, 8. 1 Reg. 8, 23. Dan. 9, 4. et al. loc. plurima; quare foedus hoc non potest intelligi aliud, quam celeberrimum illud, quod Exod. 23, 20 — 23. 24, 1 — 8. describitur, ac Exod. 34, 28. Deut. 5, 3. 9, 9. 11. 15., et per sequentes libros persaepe memoratur, et innitebatur foederi, quod Deus cum Abrehamo pepigerat Gen. 15, 8 — 18.

coll. 22, 11 — 12. 15 — 18. et 17, 11. Quapropter nostro loco legatus foederis dubio procul est ille, quocum illud foedus percussum fuit, et qui jam Jehova, jam legatus Jehovae dicitur, de quo mox plura dicemus.

צְבָאוֹת '״ non significare **Deum exercituum Hebraeorum**, jam in Hermeneutica ostendimus; sed neque sustineri potest, quod alii contendunt, notare **Deum exercituum coelestium**, seu angelorum, vel astrorum; nam nec angeli, neque astra unquam dicuntur צְבָאוֹת, sed צָבָא, cum adjecto צְבָא הַשָּׁמַיִם, vel צְבָאִים, cum suffixo צְבָאָם, צְבָאָיו, Ps. 33, 6. 103, 21. 148, 2. Jes. 34, 2. 4. 40, 26. 45, 12. Nehem. 9, 6. Accedit, quod non sit satis congruum sententiae Hebraeorum, ut, qui Jehovam Deum universorum credebant, duntaxat Deum astrorum vel angelorum dicerent, atque hanc expressionem, tanquam maxime congruam toties repeterent. — Quid igitur? — צְבָאוֹת, agmina militaria significare, certum est, Deut. 20, 9. Paral. 26, 3. Exod. 7, 4. 22. 12, 17. 21, 41. 1 Reg. 2, 8. Ps. 44, 10. 60, 12. 108, 12. Num. 1, 3. 52. 2, 9 — 24. 10, 14 — 28. 33, 1.; nec tamen unquam in antiquioribus libris, in quibus Hebraei dicuntur excercitus Jehovae, '״ צבאות, Deus dicitur צְבָאוֹת ״י, vel אֱלֹהֵי צְבָאוֹת; aeque autem certum est, agmina angelorum et astrorum nunquam dici צְבָאוֹת; hinc sequitur צְבָאוֹת ,אֱלֹהֵי צְבָאוֹת '״, et אֱלֹהִים צְבָאוֹת, neque Deum exercituum Hebraeorum, neque Deum Angelorum et astrorum significare; ast quid proprie exprimat, non satis liquet. — Ad

figendum itaque ambiguum hujus phraseos sensum, aliam non video viam, quam recursum ad interpretes antiquissimos Alexandrinos; reliqui enim opem non ferunt; nam Chaldaeus phrasim Hebraicam retinuit, alii vero et ipse quoque Syrus, consuluerunt Alexandrinos; et hi sibi quidem non constant; nam in Jesaia fere semper retinent σαβαωϑ; in minoribus Prophetis vertunt παντοκρατωρ, quod etiam in LL. Samuelis et Regum ac in Jeremia saepius occurrit, quamquam in his libris interdum etiam σαβαωϑ retinent, aut vertunt per κυριος δυναμεων, quod etiam semel in Amos, Zephania et Zacharia occurrit, ut videtur, a librariis intrusum; frequentissima autem est versio παντοκρατωρ. Conf. Concord. Trommii in παντοκρατωρ, σαβαωϑ et δυναμις. Major itaque auctoritas pugnat pro versione παντοκρατωρ, quae non tantum ceteris est multo frequentior, sed etiam etymologiae adprime convenit; nam صَبَا et صَبُو non tantum est imminuit hosti, prodiit in hostem, sed etiam orta est, seu prodiit stella, prodiit dens, ungula; et צָבָא, est turmatim prodiit non tantum contra hostem ad militiam, ad bellum, ad praelium, ut Num. 31, 7. 42. Jes. 29, 7—8. Zach. 14, 12., sed etiam ad ministerium sacrum et cultum divinum, ut Exod. 38, 8. Num. 4, 23. 8, 24. 1 Sam. 2, 22.; unde צְבָאוֹת, non solum agmina exercitus, sed omnia in coelo et in terra prodeuntia, seu omnes creaturae, ut צָבָא, Gen. 2, 1. usurpatur; hinc אֱלֹהֵי צְבָאוֹת, erit Deus creaturarum, i. e. omnipotens, uti etiam Paulus 1 Cor.

6, 18. vertit. Ita apte ascendit oratio Ps. 24, ubi Deus v. 8. dicitur rex gloriae, potens et heros, heros in praelio, et v. 10. demum compellatur celsiori nomine צְבָאוֹת יי Deus omnium creaturarum, seu prodeuntium.

Malach. 3, 2.

וּמִי מְכַלְכֵּל יוֹם בּוֹאוֹ וּמִי הָעֹמֵד בְּהֵרָאוֹתוֹ ast quis sustinebit diem adventus ejus? aut quis subsistet, cum comparuerit? Sensus est: nullus querulorum hujus generis, qui Messiam victorem gentium desiderant, subsistet, cum advenerit; nam interrogationi affirmativae subest sententia negativa. Praefixum Vau in primo וּמִי, esse adversativum, in secundo autem disjunctivum, contextus docet. — מְכַלְכֵּל sustinens, supple erit, i. e., sustinebit; כִּלְכֵּל proprie cepit, vel comprehendit vas, mensus est, 1 Reg. 8, 2. 2 Paral. 6, 18.; hinc sustentavit, quasi admensus est alimenta, 2 Sam. 19, 34. Gen. 45, 11. 1 Reg. 4, 7. 27.; denique sustinuit Jer. 20, 9.; a כול = ܟܠ med. Je, metiri, duntaxat Jes. 40, 12. — יוֹם בּוֹאוֹ diem venire eum, seu tempus adventus ejus, seu quo adveniet. — וּמִי הָעֹמֵד aut quis ille, qui stans? pro composito subsistens; quis ille est, qui subsistere poterit? — בְּהֵרָאוֹתוֹ (VII. a רָאָה) in videri eum, seu cum conspiciendum se praebebit, et munere suo fungetur, vel simpliciter idem ac adveniet; ita enim Syri utuntur verbo אֶתְחֲזִי visus est pro venit, munere functus est, ut Bar Hebraeus in Chron. Syr. p. 214.

l. 8. p 216. l. 12. p. 150. l. 15. — Verba haec omnia in futuro vertenda esse, substrata materia docet. Ceterum recte Alexandrinus: *και τις ὑπομενει ἡμεραν εισοδȣ αυτȣ; η τις ὑποστησεται εν τῃ οπτασιᾳ αυτȣ;* a quo cur recesserit Vulgatus, non video; aliter profecto non legit, nihilominus verba minus adcurate transtulit: et quis poterit cogitare adventum ejus? et quis stabit ad videndum eum?

Jam subjicitur caussa, cur nullus hujus generis turbidus subsistere poterit, ex quo rursus elucet, hos malequerulos nequaquam fuisse probos et pios, ut opinatus est Dathius: כִּי הוּא כְּאֵשׁ מְצָרֵף וּכְבֹרִית מְכַבְּסִים, nam ipse (erit) sicut ignis conflantis (conflatoris) et sicut herba lavantium (fullonum). Vehementissimus ignis, quo conflatores scorias ab auro et argento separant; et herba, qua fullones olim utebantur, ut sordes vestium calcando facilius eluerent, tropice venit pro acerbissimis calamitatibus seu poenis, quibus adventurus ille legatus, quocum foedus ictum fuit, hos de providentia divina conquerentes, Deum injustitiae accusantes, et sincera in divinam rerum humanarum gubernationem fiducia carentes delebit, ut sequenti mox versu 3 explicatur. Sistuntur scilicet Judaei ut massa auri et argenti, multa scoria mixti, et ut panni vel vestes sordibus infectae, quae purgandae sunt. Sensus est: sicut conflatores vehementissimo igni scoriam ab auro et argento, et fullones herba salsuginosa (seu lixivia aqua herbae illius in cineres redactae) sordes a vestibus separant; ita Mes-

sias venturus acerbis suppliciis seu calamitatibus immissis improbos hujus generis querulos et blasphemos Messiam victorem gentium desiderantes, a probis separabit et delebit. — מְצָרֵף conflans, et etiam conflator, quia participia etiam pro substantivis veniunt; צָרַף Hebraeis et Aramaeis igni liquavit metallum, etiam ad purgandum a scoria, tropice homines exploravit afflictionibus, quibus mali perdantur, Ps. 66, 10. 105, 9. Recte Alexandrinus expressit sensum: ὡς πυρ χωνευτηριε. Vulgatus: sicut ignis conflans, quod tolerari posset, nisi sequens parallelum membrum, herba fullonum, ostenderet, esse statum constructum, et vertendum in Genitivo. Chaldaeus similitudinem explicat: רוּגְזֵיהּ כְּאֶשָּׁתָא מְנַכֵּי ira ejus (erit) sicut ignis liquefaciens. — בֹּרִית duntaxat h. l. et Jer. 2, 22. legitur, ubi Hieronymus, qui multis annis Bethlehemi degit, et herbam fullonum ac nomen ejus profecto novit, scribit: „herba fullonum, quae in Palaestinae „humectis nascitur, et ad lavandas sordes eandem „vim habet, quam nitrum." Dolendum, sanctum Patrem non pluribus exposuisse, quae et qualis sit illa herba, et qualis ejus usus. Arabes illam vocant إِسْنَانٌ, أُسْنَانٌ, et قِلَى, et praeferunt eam, quae ex الْحَوْرَانِ, seu Auranitide, antiqua Palaestinae provincia septemtrionali trans Jordanem, adfertur. Versio Alexandrina habet: ὡς ποια πλυνοντων, in quam Chrysostomus ad Jer. 2, 22. scribit: ποαν (sic legit pro ποια)

δε λεγει, ὁ κατα την Συρων φωνην αλααν καλυσι, κατα δε την Ἑλληνων φωνην δορυκνιον, sed id non praebet desideratam lucem; *αλαα* sine dubio est Thalmudicorum אהלה, Schabb. fol. 50, 2., quod *ααλα* scribendum fuisset, et aeque ignotum est; *δορυκνιον* autem Plinius XX. 1. dicit esse herbam venenatam. Prosper Alpinus de Plant. Aeg. p. 124 — 128. tres species Kali paucis describit, et figuris ligno incisis exprimit. Sufficiat interim nobis, בֹּרִית esse herbam, cujus combustae cineribus lixivia fullonum parabatur, et h. l. pro ipsa lixivia usurpari. Ceterum Beckmann Beyträge zur Gesch. der Erfind. V. Th. IV. St. 259 — 562 S. recte refutavit sententiam Michaelis, qui contendit, vocem significare nitrum nostrum seu sal petrae, qui non est tantae antiquitatis. Beckmann autem ipse non definit, quaenam sit species plantae, sed dubius haeret, an sit *βραϑυ*, brutum, Sabina, (Sebenbaum), quam Plinius XXIV., 11 rursus duorum generum esse refert, alteram tamarici similem, alteram cupresso. — Notandus est insignis error Syri, qui et nostro loco et Jer. 2, 22. vertit: כֶּבְרִיתָא sulphur, quod Hebr. est גָּפְרִית, mirum profecto, interpretem orientalem non novisse, aut saltem non animadvertisse adeo pervulgatam herbam fullonum.

Malach. 3, 3.

וְיָשַׁב מְצָרֵף וּמְטַהֵר כֶּסֶף וְטִהַר אֶת־בְּנֵי לֵוִי nam sedebit conflans et mundans argentum, inprimis mundabit posteros Levi. Similitudo prioris versus, ubi ipse legatus foederis comparatus erat igni conflatoris, aliquantum immutatur, et lega-

tus ille comparatur conflatori mundanti argentum, quod mox explicatur de mundanda tribu Levi, quae ut massa sistitur, e qua scoriam seu inprobos separabit et perdet. — וְיָשַׁב, nam sedebit, videtur ad situm conflatorum alludere. Vau praefixum caussalem habet notionem.— Alexandrinus addit και ὡς τοχρυσιον, quod ex membro sequenti sumtum, et hic, forte per librarios, intrusum est. — טָהֵר = طَهُرَ et طَهَرَ, mundus, purus, sanctus fuit; hinc II. טִהַר mundum, purum, sanctum reddidit, purificavit, mundavit, Ezech. 24, 23. 36, 33. 39, 12. 14.

וְזִקַּק אֹתָם כַּזָּהָב וְכַכָּסֶף et defoecabit eos sicut aurum et argentum. Tropica prioris membri in similitudinem conversa sunt. — זָקַק et II. זִקֵּק defoecavit, a foecibus purgavit, vel percolando, ut vinum Jes. 25, 6., conf. زِقّ et Aram. זִיק uter, vel liquando, ut aurum et argentum, quod hic respicitur, conf. Ps. 12, 7. Job. 28, 1. 1 Paral. 28, 18. 29, 4. Arabes et Syri verbum hoc sub hac significatione non habent, et Chaldaei eo saepius notione ligandi et opus habendi, quam notione defoecandi utuntur, quae itaque ex Hebraico retenta fuisse videtur.

וְהָיוּ לַיי׳ מַגִּישֵׁי מִנְחָה בִּצְדָקָה׃, ut sint Jehovae offerentes dona in justitia, vel cum probitate. — Praefixum Vau esse consequentiae, docet contextus. — הָיוּ לַיי׳, Verbum substantivum cum Lamed personae constructum, venire pro ha-

bere, ex Grammatica notúm est, adeoque idem valet ac: ut Jehova habeat. — מַגִּישֵׁי proprie facientes adpropinquare, nempe ad Deum, seu offerentes, Mal. 11, 11. Amos 5, 25. Exod. 28, 43. 30, 20. 32, 6., uti etiam ipsi sacerdotes Exod. 19, 22. dicuntur adpropinquantes ad Jehovam, הַנִּגָּשִׁים אֶל יי; a נָגַשׁ adpropinquavit, accessit, quo verbo Syri carent; Chaldaeis נְגַשׁ usitatum est pro Hebr. נָגַח cornu petiit, quasi hostiliter adpropinquavit; نَجِسَ quasi contrarium significat, immundus fuit, qui a sacris arcebatur. — מִנְחָה = مِنْحَةٌ et مَنْحٌ donum, unde est nostrum almanach hoc loco collectivum esse, substrata materia innuit; مَنَحَ donavit, munere affecit, in dialecto Hebr. et Syr. desideratur, et in Chald. substantivum מִנְחָה, ex Hebr. retentum fuit. Ceterum vox מִנְחָה in liturgia Mosaica quidem ad fertum determinata fuit Lev. 2, 1. seqq. 7, 4. seqq. 7, 9. seqq. etc., saepe tamen, uti nostro loco, latius de omni dono usurpatur, ut Malach. 1, 11. 1 Sam. 10, 27 — 28. 2 Sam. 8, 2. 6. 2 Reg. 8, 8 — 9. et a. l. — בִּצְדָקָה in justitia, quod explicari solet: legitime, quia respicitur ad Mal. 1, 7 — 9. 13. 14, ubi sacerdotes, suscipientes victimas illegitimas, carpuntur; quia autem idipsum repetitur a defectu reverentiae, quae Majestati divinae debetur, et in nostro loco queruli illi hac eadem reverentia carebant, intelligendum esse videtur de probitate, quam notionem

voci צְדָקָה permulta loca vindicant, conf. Prov. 11, 18 — 19. 12, 28. 15, 9. Job. 27, 6. Jes. 56, 1. 58, 2. Ezech. 18, 26.

Malach. 3, 4.

וְעָרְבָה לַיי׳ מִנְחַת יְהוּדָה וִירוּשָׁלַםִ כִּימֵי עוֹלָם וּכְשָׁנִים קַדְמֹנִיּוֹת et accepta erunt Jehovae dona Judae et Jerusalem sicut diebus antiquis et annis pristinis, nempe uti e. g. tempore Davidis aut Mosis, nempe Deus, ut olim, beneficiis collatis testabitur, accepta sibi esse dona oblata, conf. Malach. 1, 10. — עָרַב Hebr. et Aram. occidit sol, ut غَرَبَ; et etiam arrham dedit, spopondit, fidejussit, ut II. عَرَبَ; porro miscuit Ezr. 9, 2. Ps. 106, 35. Prov. 20, 19. 24, 21. 14, 10.; denique suavis, dulcis fuit, placuit, gratum et acceptum fuit, Prov. 3, 24. 13, 19. Ps. 104, 34. Jes. 37, 14. Jer. 6, 20., quod fortasse cohaeret cum عَرِبَ edit, lubens et alacer fuit, lucratus est; عَرُوبٌ uxor adamata, quasi suavis et accepta. — In כִּימֵי et כְּשָׁנִים post praefixum Caph intelligendum esse Beth praefixum, res ipsa docet.

Malach. 3, 5.

Levitae, quo nomine hic etiam sacerdotes comprehenduntur, inter querulos illos et turbulentos et cupidos adventuri Messiae, qui ethnicos Persas puniat Mal. 2, 17., eminebant, ut ex Mal. 1, 12. liquet, et hinc v. 3 — 4. primo loco reprehensi fuerunt. Sequentibus respondetur generatim omnibus reliquis,

qui querelis Levitarum consentiebant, ut ex allocutione Jacobitarum v. 6. liquet.

וְקָרַבְתִּי אֲלֵיכֶם לַמִּשְׁפָּט adpropinquabo vobis ad judicium, sistam me vobis judicem punientem, uti petitis (Mal. 2, 17.); non autem gentes (Persas) puniam, sed vos Hebraeos inprobos, quos mox sequentibus recenset. Vau praefixum hoc loco redundare, contextus docet. Conf. meam Gramm. L. H. ed. III. p. 440. — קָרַב Hebr. et Aram. = قَرُبَ appropinquavit, propinquus fuit.

וְהָיִיתִי עֵד מְמַהֵר בַּמְכַשְּׁפִים et ero testis promtus contra praestigiatores. — Deus, cui omnia sunt praesentia, simul testis et judex est. — עֵד testis, ab עוּד, in Arab. عَادَ reversus est, doctus evasit, in II. docuit, adsuevit; in Hebr. IV. הֵעִיד testatus est, et testem provocavit, ac contestatus est, edocuit. — מְמַהֵר festinans, promtus, verti fortasse etiam posset bene gnarus; nam מָהִיר Ezr. 7, 6. est peritus, gnarus, et Jer. 29, 23. Deus dicitur הַיּוֹדֵעַ וָעֵד sciens et testis; accedit, quod מהר in dialecto Arabica et Syriaca de promta et expedita scientia usitatum sit. — מְכַשְּׁפִים sunt quidem generatim praestigiatores et incantatores, sed ex etymologia sunt astrologi, a كَشَفَ scidit pannum, secuit in suffragine camelum; obscuravit, ecclipsi affecit solem, quasi scidit eum; ecclipsim passus est sol vel luna; كُسُوفٌ ecclipsis: astrologi

nempe ex calculis astronomicis cognoscentes ecclipsim, mentiebantur, se praestigiis et incantationibus eam effecturos. Quod Gesenius huic derivationi, quam Michaelis suppeditavit, opposuit, non satisfacit, ut taceam, eum tribuere Verbo Arabico notiones, quas alibi frustra quaero. Adfine, sed latioris et in melius versae significationis est Syriacum אֶתְכַּשַּׁף supplicavit. Alexandrinus vertit επι τȣς φαρμακȣς; Syrus בַּחרָשֵׁא, et Chald. בְּחַרָשַׁיָּא, contra incantatores. Ceterum Chaldaeus וְהָיִיתִי reddit וִיהֵי מֵימְרִי et erit verbum meum testis etc.

וּבַמְנָאֲפִים. et contra adulteros; נָאַף moechatus est; adfine نَأَفَ alio flexu explevit sitim; Syris deest, Chaldaei quidem ex Hebraico retinuerunt, sed rarius usurpant; hinc alio verbo utitur Jonathan בְּגִיפַיָּא, et Syr. בַּגָירָא.

וּבַנִּשְׁבָּעִים לַשָּׁקֶר et contra jurantes ad mendacium, seu pejerantes. — נִשְׁבַּע proprie per septem (שֶׁבַע) adjuratus est; hinc generatim juravit; quia, ut Gen. 21, 28 — 30. legitur, septem oves, vel ad sacrificium, ad quod jurabatur, vel in pignus dabant jurantes; sed in profanis quoque auctoribus numerus septem in jurejurando et foedere memoratur, Iliad. XIX. 243.

וּבְעֹשְׁקֵי שְׂכַר שָׂכִיר אַלְמָנָה וְיָתוֹם et contra opprimentes seu fraudantes mercedem mercenarii, viduam et pupillum; zeugma est, et simul collectivus sensus: contra fraudantes mercedem mercenariorum, et contra oppri-

mentes viduas et pupillos. — עָשַׁק, quod ad utrumque hoc genus injustitiae refertur, Hebr. et Aram. proprie est oppressit vi vel dolo, damnum intulit Hos. 12, 7.; quare ad mercedem defraudatam vel retentam, et simul ad oppressas viduas et pupillos referri potest. Arabes verbum hac notione non habent; nam عسق est adhaesit, assiduus fuit; عشق amore puellae flagravit, et غشق caligavit oculus.

וּמַטֵּי גֵר et (contra) evertentes peregrinum, seu collective peregrinos. — מַטֵּי IV, a נָטָה = نطا tetendit, extendit; inclinavit, declinavit; IV. הִטָּה fecit declinare, avertit, saepe quidem usurpatur de injusta judicis sententia, sed addito מִשְׁפָּט, דִּין, vel בַּשַּׁעַר, ut Deut. 27, 19. Prov. 17, 23. 18, 5. Thr. 3, 35. Jes. 10, 2. Amos 5, 12.; hinc etiam h. l. Alexandrinus addit κρίσιν, et Chaldaeus דִּין; ast perperam; nam cum in defraudatione mercenariorum non interveniat judex, etiam de oppressione viduarum, pupillorum et peregrinorum generalis videtur esse sermo, et מַטֵּי vertendum ut Amos 2, 7. דֶּרֶךְ עֲנָוִים יַטּוּ: viam mansuetorum pervertunt, i. e., conatum eorum evertunt, frustrant, conf. et Prov. 7, 21. Jes. 44, 20. — גֵּר peregrinus, a גּוּר peregrinum alicubi versari, commorari = جار deflexit a via, quasi ut alicubi peregrinus versetur; hinc X. استجير venit

Act. 6, 5. pro proselyto, et اِسْتَجَارَ est protectionem et praesidium imploravit, quod olim erat peregrinorum. Alio flexu Aramaeis גור moechatus est, nempe deflexit ad alienam conjugem.

וְלֹא יְרֵאוּנִי et non timent me, seu quin me judicem et vindicem timeant.

Scelera haec nullo quidem tempore prorsus desunt; verum aetate Malachiae non adeo pervulgata uisse videntur, ut ultimo seculo reipublicae; nam ex historia saltem constat, Judaeos seculo III et IV. ante Christum minime fuisse perjuros, sed e contrario ob religiosam sacramenti observationem a regibus Syriae et Aegypti in civitates de fide suspectas missos fuisse, tempore autem sequenti apud omnes gentes a perjuriis fuisse infames constat. Aetate Jesu et demum belli contra Romanos, Judaeos fuisse omni genere scelerum inquinatos, non solum ex Evangelio colligitur, sed etiam Josephus Flavius saepius disertis et gravissimis verbis testatur. Conf. Joh. 8, 3 — 9. Matth. 5, 34 — 37. etc. Joseph. de B. J. IV. 2, 3. 9, 10. V. 20, 2 — 5. et loca, quae Dan. 9, 26 — 27. et Zach. 11. adducemus. Nolim asseverare, Prophetam ad tempus belli Judaici directe respexisse; notatu tamen dignum est, ipsum de tempore futuro loqui, et corruptionem ab ipso describi, qualis illo tempore rebellionis fuit, et qualis in coaevo Prophetae Nehemia non reperitur, qui tamen in aliis adprime cum ipso consentit. Conf. Jahn's Einl. in die göttl. BB. des A. B. II. Th. §. 163. S. 685 — 686.

Malach. 3, 6.

כִּי אֲנִי יי׳ לֹא שָׁנִיתִי וְאַתֶּם בְּנֵי יַעֲקֹב לֹא כְלִיתֶם
attamen ego sum Jehova, (qui) non mutor, et vos Jacobitae non consumemini. — כִּי adversativa notione, at, attamen, esse capiendum, contextus docet, quo haec prioribus opponuntur, conf. 1 Sam. 8, 9. 14, 39. Jes. 66, 8. Jer. 2, 20. 12, 11. 22, 24. Ezech. 9, 15. Ps. 22, 10. — אֲנִי יי׳, formula satis frequens, in quâ ad notionem nominis Jehova respicitur; est enim יְהוָֹה, ut ex Exod. 3, 14 — 22. 6, 3. liquet, qui semper est, qualis fuit, qui promissa, olim annunciata, suo tempore opere complet, quod ipsum mox sequens sententia per non mutor, explicat, et Chaldaeus recte exposuit: ego enim sum Jehova, non muto foedus meum antiquum. — שָׁנִיתִי esse praesens perfectum, mutor, et contextus et substrata materia ostendit; שָׁנָה mutatus fuit, Syr. insanivit, quasi mente mutatus fuit, et in II. pass. generatim mutatus fuit; altera Verbi Hebraici שָׁנָה notio iterandi, repetendi, respondet Aram. תנא et Arab. ثنى — כְּלִיתֶם verti solet consumti estis; verum contextus orationis, qui ad praecedentem futuram inproborum stragem respicit, manifeste indicat, vertendum esse in futuro, ut dicatur: ego sum Jehova, qui non mutor, memor sum promissionum mearum, et vos illis supliciis non prorsus delebo. Conf. Jer. 4, 27. 5, 10. 18. 8, 19. 30, 11. 31, 37. et al. l. simil. Male Alexandrinus: ουκ απεχεσθε απο των αδικιων των πατερων υμων,

et qui ipsum consuluit Syrus: לא עֲברתון מֵן עָולכון, non desistitis ab iniquitate vestra; si id exprimere voluisset Propheta, scripsisset procul dubio: לא שְׁנִיתֶם non mutamini; uterque hic interpres confudit Verbum כָּלָה, quod Syri et Arabes non habent, cum כְּלָא cohibuit, coercuit, inclusit, et reciproce intellexit, quasi non cohibuistis vos; praeterea neuter contextum, qui futurum tempus respicit, satis attente contulit. Hinc male quoque Vulgatus: non estis consumti; Chaldaeus antem omnino somniat, nam de vita post mortem futura explicat, in qua superstites futuri sint.

Malach. 3, 13 — 24.

Huic vaticinio mox jungendum est alterum parallelum Malach. 3, 13 — 24., in quo aliqua, quae Mal. 2, 17. — 3, 6. paucioribus dicta sunt, pluribus exponuntur. Inquieti nempe illi, jugi Persarum impatientes, et Messiam debellatorem gentium desiderantes, priori illa reprehensione et comminatione non sunt emendati, sed blasphemis querimoniis suis eo magis insistebant, et Deum audacius injustitiae accusabant, provocantes ad experientiam, omnibus manifestam, Judaeos omni cultu suo, quo Deum proseqnebantur, nullum referre emolumentum, Persas autem, qui petulanter peccant, et temere se periculis objiciunt, evadere salvos, et felices rerum omnium dominos vivere. Responsum divinum, ut c. 3, 1 — 6., querelas has retorquet in ipsos querulos, et edicit, poenas, non adeo Persis, quam inprobis Judaeis imminere, sed amplius exponit

tutelam et praesidium divinum, quod tempore hujus supplicii probis obtinget.

Malach. 3, 13.

חָזְקוּ עָלַי דִּבְרֵיכֶם אָמַר יי וַאֲמַרְתֶּם מַה נִּדְבַּרְנוּ עָלֶיךָ. duri sunt sermones vestri contra me, ait Jehova. Ast dicitis: quid loquimur contra te? — חָזַק, ut Syr., cinxit, Jes. 22, 21.; Arab. حَزَقَ, pro quo et حَزَكَ dicitur, firmiter constrinxit, pressit, compressit; Hebr. plerumque firmavit, et etiam firmatus, obfirmatus fuit; invaluit, validus fuit, durus fuit, obduratus fuit, cum עַל constructum praevaluit, 2 Paral. 27, 5. Gen. 41, 56—57. 47, 20. Jer. 52, 6.; itaque, sensus est: duri sunt et quasi praevalent sermones vestri contra me. — דִּבְרֵיכֶם sermones vestri, et נִדְבַּרְנוּ loquimur seu colloquimur, de blasphemis illis querelis intelligendum esse, ex iis patet, quae mox sequuntur.

Mal. 3, 14.

אֲמַרְתֶּם שָׁוְא עֲבֹד אֱלֹהִים וּמַה בֶּצַע כִּי שָׁמַרְנוּ מִשְׁמַרְתּוֹ וְכִי הָלַכְנוּ קְדֹרַנִּית מִפְּנֵי יי צְבָ׳ dicitis: cassum est servire Deo, aut quod est emolumentum, quum observamus, quae observanda mandavit, et quum incedimus pullati coram Jehova omnipotente? — עֲבֹד אֱלֹהִים servire Deo, est eum colere tam cultu externo quam obsequio divinis mandatis praestito, ut mox sequenti sententia exponitur; adfine est عَبَدَ adoravit, in II. in servitutem rede-

git; Syr. עֲבַד fecit, sed עַבְדָא servus. — Vau praefixum in וּמַה valet aut, ut contextus ostendit, et alia similia loca comprobant, Exod. 21, 17. 1 Sam. 17, 34. 2 Sam. 24, 13. Jer. 13, 23. Prov. 20, 20. Conf. meam Gramm. L. H. §. 123. p. 432. nro. 3. — בֶּצַע lucrum, emolumentum, בָּצַע = بضع, collegit, comportavit; Hebr. etiam injuste corrassit. Syris deest. — שָׁמַר = سمر noctu vesperive, peculiariter lucente luna confabulatus est, ut solent nomades Arabes ante tentoria; hinc Hebr. custodivit, observavit; et אַשְׁמֹרֶת vigilia nocturna. Nomen מִשְׁמֶרֶת, si Verbo adjicitur, venit pro objecto, quod custodiendum et observandum est; alias significat vigilias, praesidium, custodiam, tutelam. Verbum Syris deest. — קְדֹרַנִּית atrate, Adverbium ad normam Aramaeam formatum, alibi non obvium, a קָדַר niger, atratus, obscurus fuit, unde ad luctum, in quo nigris vestiebantur, et etiam ad tristitiam ex resipiscentia ortam transfertur, Ps. 35, 14. 38, 7. Joel 2, 10. 4, 15. Jer. 8, 21.; convenit cum قذر sordidus, spurcus fuit; abhorruit.

Vix solum festum propitiationis, cum jejunio et luctu transigi solitum, indicatur, sed innui videntur etiam illa jejunia, in memoriam eversorum Jerosolymorum instituta, et ut dies poenitentiae cum luctu observata, quae quidem mandato Zachariae c. 7 et 8. abroganda et in laetos dies convertenda fuissent, sed nihilominus conservata fuerunt, et a Judaeis hodie-

dum observantur, nisi fortasse everso secundo templo postliminio reducta fuerint. Fortasse accedebant etiam alia quaepiam voluntaria jejunia, uti etiam Jes. 58, 3. Hebraei jejunia sua jactant. Conf. meam Bibl. Archaeol. (Germ.) P. III. §. 77. p. 324 — 325. Animadverti autem velim, ex hoc loco rursus patere, hos querulos non fuisse, ut opinatus est Dathius, vere religiosos Jndaeos; nam de cultu externo gloriantur, et providentiae divinae se totos committere renuunt, sine quo omnis religio est vana. Ceterum interpretes antiqui hanc sententiam diversis formulis circumloquuntur; Alexandrinus: *διοτι εποϱευϑημεν ἱκεται πϱο πϱοσωπȣ κυϱιȣ*; Syrus: וַדהַלֵּכן מכִיכאִית קֳדַם מֹרִיא et quod incedimus humiliter coram Domino; Chaldaeus: וַאֲרֵי הֲלַכנָא בִמכִיכוּת רוּחַ מִן קֳדָם יי, et quod incedimus in humilitate spiritus coram Jehova; Vulgatus: et quia ambulavimus tristes coram Domino, quia nempe preces, humiliatio, et tristitia jejunio jungebantur. Ex his adductis versionibus simul liquet, omnes antiquos מִפְּנֵי יי reddidisse coram Jehova vel coram Domino, non vero propter Jehovam, quod plures recentiores praetulerunt, qui literae nimis inhaerebant, nec observabant, linguam Malachiae ad Aramaeam dialectum accedere, in qua מִן קֳדָם vel מִן, nihil est aliud, quam coram. Praeterea observandum venit, hos querulos opponere colentes Deum, et jejuniis se coram Deo humiliantes, nempe Judaeos, arrogantibus et petulantibus peccatoribus, et temere se in pericula conjicieutibus; unde patet, hos poste-

riores, qui sequenti versu memorantur, non esse Judaeos, sed ethnicos, ut mox initio annotavimus.

Malach. 3, 15.

וְעַתָּה אֲנַחְנוּ מְאַשְּׁרִים זֵדִים גַּם נִבְנוּ עֹשֵׂי רִשְׁעָה גַּם בָּחֲנוּ אֱלֹהִים וַיִּמָּלֵטוּ׃ nam nunc quidem beati praedicandi sunt petulantes peccatores; non solum cum inprobe agunt, rebus suis augentur, sed etiam, cum tentant Deum, salvi evadunt. Quod illi, providentiam divinam reprehendentes, et moram Messiae non ferentes, c. 2, 17. conquesti erant, Deum retardando Messiam Judaeos a jugo Persarum liberaturum, esse injustum, nunc ex prosperitate arrogantium et petulantium peccatorum nempe ethnicorum et inprimis Persarum, quos nominetenus compellare non audebant, comprobare conantur; nam pro eo, quod Hagg. 2, 6 et 20 — 23. praedictum erat, unicam, et quidem paulo post secuturam esse regnorum revolutionem, et demum templum thesauris gentium locupletandum esse, et magnificentissimum fore, his inquietis Judaeis e contrario res Persarum videbantur augeri, et mirabantur, imo offendebantur, eos, siquid temere aggressi erant, ut expeditionem contra Scythas Herod. IV. 83 — 85. — 143. et V. 2. 17 — 22., bellum contra Graecos, quod narrat Herodotus L. VII — IX., bellum contra Aegyptios rebelles Diod. Sic. XI. 71. 74., nihilominus salvos evadere. — Vau praefixum in וְעַתָּה esse caussale, nexus cum praecedentibus docet. — אֲנַחְנוּ מְאַשְּׁרִים nos beantes, i. e. praedicamus felices, seu, ut series orationis poscit,

nobis vel a nobis praedicandi sunt felices; אָשַׁר recta incessit, in II. recte procedere fecit, duxit, et etiam intransitive incessit; notio praedicavit felicem, est denominativa ab אֶשֶׁר, quod in recentioribus duntaxat libris in constr. Plur. occurrit אַשְׁרֵי beatitudines; adfine est يسر alea lusit, sagittis sortitus est, in II. prosperavit; in Syr. desideratur. — זֵדִים a Syro redditur עַוְלָא iniqui, a Chaldaeo רַשִׁיעַיָא injusti, inprobi, melius a Vulgato: arrogantes; Alexandrinus autem errore oculi legit זָרִים, et vertit ἀλλότριοι, quae lectio etiam in unum codicem Hebraicum irrepsit. זֵדִים proprie sunt confidentes, petulantes, arrogantes peccatores, Ps. 119, 21. 51. 69. 78. 85. 122. Jes. 13, 11. Prov. 21, 24. Jer. 43, 2., a זִיד coxit Gen. 25, 29. 34.; ab ebulliendo videtur orta notio, confidenter, petulanter, arroganter se gessit, Deut. 1, 43. 18, 28. 17, 13. Exod. 18, 11. Jer. 50, 29. Neh. 9, 10. 16. 29.; aliquatenus convenit زاد med. Je, non, ut aliqui sumunt, intumuit, sed auctus est aliqua re, quod si ad fluvium aquis auctum refertur, verti potest intumuit; qui rebus suis augentur, facile arrogantes et petulantes evadunt; longius recedit, ideoque conferendum non est زَوَّن et Syr. זָוֵד viatico instruxit, quod convenit cum Hebr. צֵידָה viaticum. — נִבְנוּ proprie aedificantur, a בָּנָה = بنا, quod non tantum est aedificavit, sed

etiam beneficiis et favore prosecutus est; beneficiis autem affici a Deo, est rebus suis augeri, emolumenta percipere, prosperari Exod. 1, 22. Ps. 28, 3. Jer. 24, 6. 31, 4. 33, 7. 41, 16. Id ex antiquis solus Chaldaeus perspexit, qui recte vertit: אִתְקַיְּמוּ stabiliuntur, conf. Prov. 24, 3. — עֹשֵׂי רִשְׁעָה facientes injustitiam seu iniquitatem, seu improbe agentes. — גַּם repetitum valet, tum hoc, tum illud, non solum, sed etiam, ut Gen. 24, 25. 44. 32, 20. 43, 8. 44, 16. 46, 34. Exod. 12, 31. Jud. 8, 12. 1 Sam. 17, 36. — בָּחֲנוּ tentant; בְּחַן, Hebr. et Aram. = مَحَنَ tentavit, exploravit; proprie Deum tentare dicuntur, qui potentiam Dei in dubium vocant et explorare nituntur, ut Ps. 78, 18—20. 95, 9. Jes. 7, 12., inproprie autem, qui temere et petulanter se in pericula conjiciunt, quasi ipso facto Dei potentiam, ipsos eripiendi, explorantes, et haec ultima ratio tentandi Deum hoc loco spectatur, ut patet ex sequenti: salvi evadunt, conf. etiam נסה et Matth. 4, 5—7. Luc. 3, 9—12. Alexandrinus: ἀντέστησαν τῷ θεῷ, quibus verbis sensum expressit, fere ut germanice dici posset: Gott zum Trotz. — יִמָּלֵטוּ, in pausa pro יִמָּלְטוּ, eripiuntur, salvi evadunt; VII. a מלט inusit.; ملط et Syr. מלט linivit, oblinivit, et ملص prae lubricitate e manu excidit res, quasi evasit; hinc Hebr. in II. et IV. eripuit, in VII. ereptus est, salvus evasit, convenit cum פָּלַט evasit, Syris liberavit, eripuit, et Arab.

in IV. اُفلتَ evasit, et transit. eripuit, liberavit, pro quo etiam اُفلطَ dicitur, ac فلّص liberavit, in IV. V. et VII. evasit, apud Golium in append. c. 2886.

Malach. 3, 16.

אָז נִדְבְּרוּ יִרְאֵי יי׳ אִישׁ אֶל־רֵעֵהוּ וַיַּקְשֵׁב יי׳ וַיִּשְׁמָע וַיִּכָּתֵב סֵפֶר זִכָּרוֹן לְפָנָיו לְיִרְאֵי יי׳ וּלְחֹשְׁבֵי שְׁמוֹ׃

Haec Alexandrinus, Syrus et Vulgatus vertunt, uti et praecedentia, in Praeterito, ac si porro essent verba illorum turbidorum conquerentium; ast id conciliari nequit cum versu sequente 17.; אָז respicit quidem praecedens עַתָּה, sed nunquam significat olim, quae notio, si de antiquis piis Hebraeis sermo esset, ei substernenda foret; postulante serie orationis אָז loco nostro, ut Job. 9, 31., est particula adversativa, sed, attamen. Quapropter vertimus cum Chaldaeo: attamen timentes Jehovam colloquuntur invicem, et Jehova attentus audit, et scribitur commentarius coram Jehova pro timentibus Jehovam et magni facientibus nomen ejus. — נִדְבְּרוּ colloquuntur, nempe alia; de consolatione mutua, illis querelis prorsus contraria, capiendum esse, oppositio docet. — יִרְאֵי יי׳ timentes Jehovam sunt vere religiosi, non hypocritae, ut illi queruli; יָרֵא timuit, = وَرِعَ timidus, pavidus fuit, cavit sibi, pius fuit; Syris deest. — אִישׁ אֶל־רֵעֵהוּ vir ad proximum suum, i. e. alter ad alterum, seu in-

vicem. — וַיַּקְשֵׁב et attentus est, auscultat, quasi inclinat aurem, uti occurrit Ps. 10, 17. Prov 2, 2.; IV. a קָשַׁב, quod duntaxat Jes. 32, 3. usurpatum reperimus, vicinum est قَسَبَ fluxit, et deflexit ad occasum sol, unde facilis est transitus ad inclinationem auris; hinc et قَسِيبٌ non tantum est fluxus, sed etiam sonus, qui ad aurem devehitur. — וַיַּקְשֵׁב וַיִּשְׁמָע et auscultat et audit, recte vertitur attentus, quasi aure inclinata, audit. — סֵפֶר זִכָּרוֹן liber memoriae, quem Latini nomine commentarii compellant, in quo annotabant, quae soli memoriae, non raro infidae, credere nolebant. Hebraei commentarium hujus generis tribuunt Deo, qua imagine exprimunt et rei gravitatem et futuram aliquando retributionem divinam. — חָשַׁב Hebr. et Aram. = حَسَبَ cogitavit, excogitavit, computavit, reputavit, et حَسِبَ aestimatus fuit, existimatione conspicuus fuit. — שְׁמִי nomen meum, i. e. me, vel meam majestatem. — Ex hac oppositione vere piorum et religiosorum rursus elucet, illos querulos fuisse pejoris generis Judaeos.

Malach. 3, 17.

וְהָיוּ לִי אָמַר יי׳ צְבָ׳ לַיּוֹם אֲשֶׁר אֲנִי עֹשֶׂה סְגֻלָּה
וְחָמַלְתִּי עֲלֵיהֶם כַּאֲשֶׁר יַחְמֹל אִישׁ עַל בְּנוֹ הָעֹבֵד אֹתוֹ׃

erunt enim mihi, ait Jehova omnipotens, illa die, quam praeparo, peculium, et clemens eis ero, sicut quis filio suo, qui

obedit ei, clemens esse solet. Ratio redditur, cur pii hi et probi commentario Dei inscribantur, ut nempe illo tempore suppliciorum cogniti sint, et salvi evadant. — לַיּוֹם אֲשֶׁר אֲנִי עֹשֶׂה recte vertit Alexandrinus: εις ἡμεραν, ἡν εγω ποιω; versio Syri et Chaldaei dubia est, videtur tamen eodem sensu capienda, quia Arabs versionem Alexandrinam eadem phrasi vertit, ut sensum illius versionis exprimeret. Atque ita intelligenda esse haec verba, evincitur ex Ps. 118, 24. Ezech. 39, 8. Male ergo Dathius et Bauerus vertunt: die, qua ego faciam insigne illud opus; nam loca Jes. 28, 21. Jer. 18, 23. 23, 20., ad quae provocant, a nostro diversa sunt, et male conferuntur. Supplicia nempe, quae irrogabuntur, tempori tribuuntur, ut c. 3, 2. 19. — De סְגֻלָּה Hieronymus scribit: „pro peculio in Hebraico legitur „sgolla, quod Aquila περιασιον, ceteri περιποιησιν „interpretantur," atque hi utcumque sensum expresserunt; solet enim peculium studiose custodiri et conservari; ut Germani dicunt: diefs ist mein Schatz, conf. Eccl. 2, 8. Radix in Hebr. et Syr. desideratur; Chaldaicum autem סְגַל adquisivit, videtur ex Hebraico סְגֻלָּה derivatum. Adfine tamen est سَجَلَ signavit, in II. scripsit, unde, quia servis, ut peculio domini, non raro nomen domini inscribebatur vel inurebatur, significatio peculii derivari potuit, conf. Apoc. 3, 12. 7, 3. Ceterum nomine peculii compellantur Hebraei Exod. 19, 5. Deut. 7, 6. 14, 2. 26, 18. 1 Paral. 29, 3. — חָמַל clemens fuit, pepercit, cui propinquum est

حمل portavit, sustentavit, patienter tulit; eodem fere redit Syr. חמל comportavit, collegit, etiam collegit hospitem. — הָעֹבֵד אֹתוֹ obediens ipsi, vel colens eum; locus classicus pro notione Verbi עָבַד coluit, obediens fuit, alias servivit; filiorum enim non est servire, sed obedire patri, et eum honorare et colere.

Malach. 3, 18.

וְשַׁבְתֶּם וּרְאִיתֶם בֵּין צַדִּיק לְרָשָׁע בֵּין עֹבֵד אֱלֹהִים לַאֲשֶׁר לֹא עֲבָדוֹ tum rursus videbitis (discrimen) inter probos et inprobos, inter eos, qui colunt Deum, et eos, qui eum non colunt. — וְשַׁבְתֶּם וּרְאִיתֶם et revertemini et videbitis; primum Vau praefixum in hac orationis serie esse tum vel tunc, per se liquet, conf. 1 Reg. 1, 21. Dan. 8, 17. et Noldii Concord. Partic. p. 306. Aoristum autem primum de Futuro intelligendum esse, substrata materia monet; phrasim denique hanc idem valere ac: tum rursus videbitis, notum est. Ex hoc loco manifestum est, sermonem esse de revolutione regnorum, qualis per Cyrum contigit, et qualem Haggai 2, 6. 20—23. praedixerat, quam anxie exspectabant Judaei, et eam adeo retardari aegre ferebant. Non enim erat, ut diceretur, rursus videbitis, nisi alia similis jam visa fuisset poena inproborum. Id solum interest, quod Judaei aliam revolutionem desiderarent, qua gentes per Messiam imperio privarentur; vaticinium autem de revolutione loquatur, qua Judaeorum civitas ob inprobitatem eorum, ut olim per Nebucadnezarem, evertenda esset. —

בֵּין vel בֵּין = بَيْنٌ intervallum, medium, seu discrimen; in Hebr. instar particulae usurpatur, et idem valet ac inter, atque cum verbis videndi et cognoscendi notat discrimen, differentiam, distinctionem, ubi alteri termino, quocum comparatio fit, jam Lamed, jam וּבֵין praemittitur. — Sicut צַדִּיק proprie justus, dein generatim probus, ita רָשָׁע proprie injustus, dein generatim inprobus est, Michaelis Suppl. ad Lex. Hebr. p. 2266 — 68. conf. Exod. 2, 13. Deut. 25, 1 Reg. 8, 32. Habak. 1, 4. Ps. 37, 12. 21, 32. Prov. 17, 15. Jes. 40, 8.; a צָדַק justus fuit, interdum tamen ad veritatem transfertur, ut صَدَقَ verus fuit, nonnunquam ad justitiam transfertur, uti etiam حَقَّ. — רָשַׁע injustus fuit, respondet رَشَعَ (non ut Michaelis in Suppl. habet رَشِعَ) magna cupiditate fuit, et رَشْعٌ inprobitas, malitia, nec non III. Syr. אַרְשַׁע peccavit, iniquitatem fecit, scelus admisit.

Malach. 3, 19.

כִּי הִנֵּה הַיּוֹם בָּא בֹּעֵר כַּתַּנּוּר nam ecce ille dies veniet ardens sicut clibanus. — בָּעַר arsit, quae notio Syris et Arabibus quidem ignota est, sed reperitur in Aethiop. et Chald., atque ex contextu liquet. — תַּנּוּר in Bibl. Archaeol. (Germ.) P. I. T. II. §. 164. p. 182. III. descripsimus, et in tabula aenea IX nro. 20 repraesentavimus, ubi testibus adductis adde

Belon in Paulusii Samml. der Reisen III. 41. Olivier Reise durch Persien I. Th. S. 193 f. Troilo Reise p. 652. In versione Alexandrina additum legitur: φλεξει αυτυς, quod ex margine irrepsisse videtur; fortasse erat scholion ex Symmacho vel Aquila decerptum, quod a librario temere loco alieno intrusum fuit; pertinet enim ad sequens לִהַט conf. Schleusneri opuscul. crit. 1812. p. 451.

וְהָיוּ כָל־זֵדִים וְכָל־עֹשֵׂי רִשְׁעָה קַשׁ et omnes petulantes peccatores et omnes inprobe agentes erunt stipulae. — קַשׁ collective stipulae, sicut Aram. קַשָּׁא vel קַשְׁתָּא et Arab. قَشّ a قَشَّ, קָשַׁשׁ collegit, Syr. autem consenuit. Alluditur ad stipulas, quae in agris concremari solebant. Bibl. Archaeol. (Germ.) P. I. T. I. §. 66. p. 315. ubi addendus est Virgil. Georg. I. 84 — 93. Judaei desiderabant poenam ethnicorum, responsum divinum autem ipsis Judaeis inprobis poenas denunciat.

וְלִהַט אֹתָם הַיּוֹם הַבָּא אָמַר יי׳ צְבָ׳ et inflammabit eos ille dies venturus, ait Jehova omnipotens. Tempori tribuitur, quod illo tempore futurum est. Stipulae, quae igni injectò exuri solebant, sunt imago inproborum, qui calamitatibus immissis perdendi sunt; adeoque poenae irrogandae designantur. — לִהַט II. et Syr. לְהַט II. inflammavit, accendit, quod Arabes non habent, sed pro eo utuntur لَهَبَ flammam extulit, arsit, a quo Hebraei habent לַהַב flamma, quo Syri carent.

אֲשֶׁר לֹא יַעֲזֹב לָהֶם שֹׁרֶשׁ וְעָנָף׃ qui nec radicem nec ramum ipsis relinquet. Proverbialis loquendi formula, ab arboribus igni penitus exustis desumta, cujus sensus est: prorsus delebuntur, et posteris carebunt, quod funestissimum erat Hebraeis. — עָזַב reliquit = عَزَبَ procul evagati sunt pascendo cameli, procul abfuit, longe abiit maritus vel uxor, quod parum abest a notione relinquendi, uti patet ex phrasi عَزَبَتِ الارض destituta incolis, prosperis miserisve viduata fuit regio, quod utique est derelicta fuit. Syris Verbum deest. — שֹׁרֶשׁ, Chald. et Syr. שָׁרְשָׁא, radix; شَرَس parvi frutices spinosi, pec. montani. — עָנָף Hebr. et Aram. ramus. Paraphrastes Chaldaeus sublato tropo sensum verbis propriis recte expressit: דְלָא יִשְׁתְּבַק לְהוֹן בַּר וּבַר בַּר ut non relinquatur ipsis filius et filius filii.

Malach. 3, 20.

וְזָרְחָה לָכֶם יִרְאֵי שְׁמִי שֶׁמֶשׁ צְדָקָה vobis autem timentibus nomen meum orietur sol justitiae. — Vau praefixum esse adversativum, vix opus est monere. — Timentes nomen Dei, seu reverentes Deum sunt vere religiosi. — זָרַח Hebr. et Aram. ortus est, a quo Arab. نَزَحَ longe abit, est enim confregit caput, et نَزَحَ de loco movit in

locum. — שֶׁמֶשׁ צְדָקָה sol justitia vel sol justitiae, utrumque idem valet, ut Ps. 37, 6. וְהוֹצִיא כָאוֹר צִדְקֶךָ et educet, sicut illud lumen, nempe solem, justitiam tuam; adeoque orietur justitia sicut sol; sicut sol, ita in oculos incurret justitia, quae quidem piis et religiosis erit sol recreans, sed inprobis erit ardor aestusque molestus, imo ignis, ut in prioribus dictum fuit. Respicitur ad c. 2, 17 et 3, 13 — 14., ubi queruli illi justitiam Dei punientem desiderabant.

וּמַרְפֵּא בִּכְנָפֶיהָ et sub alis ejus erit sanatio. — מַרְפֵּא sanatio, medicamentum, tropice salus, salvatio, a רָפָא sanavit, reparavit = رفأ reparavit ruptam vestem, laesam amicitiam; longius abit Syr. II. רְפִי laxavit. Soli tribuuntur alae, uti etiam aurorae Ps. 139, 9., quibus radii indicantur. Syrus autem linguam soli tribuit; vertit enim אסיותא על לשנה sanatio super lingua ejus, qua fortasse radios designat. Ceterum calorem solis sanitati conducere, testantur medici, et confirmat experientia, qua constat, etiam sub nostro caelo mensibus Junii, Julii et Augusti pauciores plerumque esse aegrotos, et perpaucos morbos, sub climatibus autem calidioribus fere omnes morbos et ipsos etiam mulierum partus esse leviores et faciliores; ast ardor solis, quem Arabes صكّة عمي vocant, molestissimus est, uti ex usu loquendi Arabum patet, quem adducit H. A. Schulten-

sius in Meidani Proverbiis Arab. 1795. p. 58 — 59., quocum confer Ps. 121, 6. Ideo nostro loco additur, sub alis hujus solis fore sanationem seu salutem reverentibus Deum.

וִיצָאתֶם וּפִשְׁתֶּם כְּעֶגְלֵי מַרְבֵּק et egrediemini et exsultabitis ut vituli saginae. Recreati nempe illa justitia benefica, laeti eritis. — Vau praefixum in וִיצָאתֶם verti etiam posset consecutive, ideo vel hinc. — פִשְׁתֶּם antiqui vertunt salietis, exsultabitis, quod juvencis saginatis convenit, nec alienum est ab Hab. 1, 8. Jer. 50, 11.; a פ״ש = فاش med. Je, quod est gloriatus fuit, superbivit pecul. ostentans quae non habet; ast Nah. 3, 18. נָפֹשׁוּ est VII. a פ ש Syr. manere, cessare, quiescere, in III. aberravit; quapropter ex hoc Nahumi loco prior. significatio impugnari nequit. — עֵגֶל Hebr. et Aram. = ܥܓܠ vitulus, juvencus; عجل festinavit, Syr. עֲגַל II. volvit, circum egit. — מַרְבֵּק locus, ubi pecus saginatur, sagina, unde ductum esse videtur Chald. רְבַק saginavit; Syri enim verbum non habent, et ربق est firmiter religavit, pec. fune in collo, eoque prehensum tenuit haedum, ad quod respexit Alexandrinus, qui vertit: ὡς μοσχάρια ἐκ δεσμῶν ἀνειμένα. Sensus est: eo tempore, quo inprobi illi Judaei immissis calamitibus seu poenis absumentur, vos pii laetabimini, et salvos vos esse gaudebitis. Ceterum comparatio cum juvencis saginatis, qui e loco sagi-

nae egredientes exsultant, apud Hebraeos non exiguam habebat dignitatem. Conf. meam Bibl. Arch. (Germ.) P. I. T. I. §. 56. p. 270 — 271.

Malach. 3, 21.

וְעַסּוֹתֶם רְשָׁעִים כִּי יִהְיוּ אֵפֶר תַּחַת כַּפּוֹת רַגְלֵיכֶם בַּיּוֹם אֲשֶׁר אֲנִי עֹשֶׂה אָמַר יי׳ צְבָ׳: et conculcabitis inprobos; erunt enim cinis sub plantis pedum vestrorum illa die, quam praeparo, ait Jehova omnipotens. Imago a priori similitudine juvencorum exsultantium petita, nihil amplius dicit, quam illud quod praecessit, probos fore salvos et laetabundos. — עַסּוֹתֶם (ab עסס) ἁπαξλεγομενον, Alexandrinus vertit καταπατησετε, Chald. תְּדוּשׁוּן, Syr. תְּדִישׁוּן,. Vulg. calcabitis; significatio itaque calcandi ex hac unanimi antiquorum interpretatione satis certa est, et contextu orationis, atque etiam derivato עָסִיס succus, mustum calcando expressum, confirmatur, etsi dialecti nihil simile offerunt; nam عَشَّ est gracile, extenuatum fuit corpus, et extenuavit, macrum reddidit; Syr. עַסַס II. inflammavit, sollicite egit, et עֻסּסָא sollicitudo in negotiis, Bar Hebraeo autem est in Chron. Syr. p. 96. lin. 6. tumultus; propius accedit Syr. עַצִּיצָא oppressor, violentus, et עָצִיצָא oppressio. — אֵפֶר cinis, ut ex Num. 19, 9. aliisque locis constat, alias imago vilitatis, levitatis et inconstantiae, Gen. 18, 27. Job. 30, 19. 13, 12., nostro tamen loco ad imaginem ignis, quo inprobi

consumendi sistuntur, alluditur, uti Ezech. 28, 18. Radix deest; Syri enim Verbo carent, et Arabum أفر est transgressus est, cucurrit, agilis fuit, assilivit, vehementer bullivit, et أفر manifestum evasit, clarum splendidumque reddidit. — כַּף Hebr. et Aram. = كفّ vola manus, Hebraeis etiam planta pedis, et Arabibus quoque pes quadrupedis digitos habentis; an כָּפַף curvavit, sit radix, an vero denominativum a כַּף, lector judex esto.

Malach. 3, 22.

זִכְרוּ תּוֹרַת מֹשֶׁה עַבְדִּי אֲשֶׁר צִוִּיתִי אוֹתוֹ בְחֹרֵב עַל־כָּל־יִשְׂרָאֵל חֻקִּים וּמִשְׁפָּטִים mementote legis Mosis servi mei, quam ei in Choreb pro omnibus Jsraelitis mandavi, statuta et decreta. Hic versus ab Alexandrino trajectus est in finem libelli, qui monito solemni aptior visus fuerit, nec tamen ullum codicem Hebraicum, aut antiquum interpretem, praeter Arabem, qui textum Hebraicum non inspexit, sequacem habet. Litera autem majuscula Zain in זכרו profecto non innuit, locum hujus versus esse alienum, sed eo duntaxat fine major formanda praecipitur, ut lector attentior reddatur ad grave hoc monitum, insertum propterea, quod jam in illa Mosis lege similes promissiones et comminationes leguntur. — זָכַר, Aram. דְּכַר, Arab. ذكر meminit. — תּוֹרָה proprie doctrina, ut ex Deut. 4, 44. Exod. 16, 4. 24, 12. Jes. 1, 10. Zach. 7, 12.

Prov. 1, 8. Ps. 78, 1. aliisque locis patet; dein lex, religio, quae in universo oriente nomine legis venit, quia et lex et religio doctrinam complectitur; radix est יָרָה jecit, cui affine est ورى ignem scintillasque ejecit ignitabulum; IV. הוֹרָה jecit, et docuit, quasi jecit semina vel scintillas doctrinae; porro rigavit, quod aeque ad doctrinam referri potest, et hac significatione conferendum est روى propinavit aquam, sollicite cogitavit. — צִוָּה = وصي mandavit, commendavit, Gen. 50, 15. Num. 36, 2. — עַבְדִּי servus meus, honoris compellatio, ut aulici, etiam supremi, in oriente se servos esse regis gloriantur. Conf. meam Bibl. Archael. (Germ.) P. II. T. II. §. 178. p. 279. et adde Belon in Samml. der Reis. von Paulus II. Th. S. 7—8. conf. Ps. 90, 1. 18, 1. Jac. 1, 1. — חֹרֵב in Pentateucho est pes montis, ex quo exsurgit vertex Sinai; nam ubicunque sermo est de Mose aut populo, ad pedem montis consistente, occurrit חֹרֵב, ut Exod. 3, 1. 17, 6. 33, 6. et saepe in Deuteronomio; ubi autem Deus aut Moses memoratur in cacumine montis, usurpatur סִינַי, conf. meam Bibl. Arch. (Germ.) P. I. T. I. §. 17. p. 75 — 77. Ast hoc discrimen inter Sinai et Choreb, aetate nostri Prophetae non attendebatur. — חֻקִּים, a חֹק omne quod definitum et constitutum est; hinc lex, mandatum, definita portio, a חָקַק, insculpsit, statuit, constituit, Ezech. 4, 1. Jes. 30, 8. 49, 16. 22, 16. 10, 1.

Prov. 8, 27.; Arab. حَقَّ latioris quidem est significationis, ut advenit, accidit; necessarius, dignus, idoneus fuit; certo cognovit dignovitque, sed etiam vicit jure adversarium, recte justeque fecit, et حَقّ, cum pl. حُقُوق, verum, justum, jus quod debetur. An et qua ratione חֻקִּים et מִשְׁפָּטִים distinguantur, obscurum est; aliqui conjiciunt מִשְׁפָּטִים esse jura, quae in foro obtinent, sed diffiteri non possunt, vocem persaepe latius usurpari, ut alibi ostendimus.

Malach. 3, 23.

הִנֵּה אָנֹכִי שֹׁלֵחַ לָכֶם אֵת אֵלִיָּה הַנָּבִיא לִפְנֵי בּוֹא יוֹם יי הַגָּדוֹל וְהַנּוֹרָא ecce mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehovae magnus et formidabilis. Qui v. 1. promissus fuit legatus, viam Domino templi praeparaturus, nunc dicitur Elias Propheta, non alio modo, quam quo Messias dicitur David, Jer. 23, 5. 30, 9. Ezech. 34, 23. 37, 24. Nomen Eliae, huic legato viam praeparaturo impositum, ostendit, cujus generis futurus sit hic Propheta, nempe vivendi ratione austerus, severus improborum castigator, et acerrimus morum censor. — Alexandrinus ex negligentia omittit הַנָּבִיא, et addit θεσβιτην, fortasse quod opinaretur, Eliam ipsum esse in vitam rediturum, ut Judaei aetate Jesu sentiebant, Matth. 11, 9—14. 16, 14. 17, 11—12. Marc. 6, 15. 8, 28. 9, 11—13. Luc.

9, 9. 19. 54. Joh. 1, 21., atque hoc solo sensu, quo a Judaeis interrogatus fuit Johannes, se negavit esse Eliam, nempe redivivum, Joh. 1, 21. 25. Quod Bauerus in Schol. ad h. l. annotavit: vix crediderim, certum quemdam virum animo Prophetae observatum fuisse, inania sunt verba, quae repugnant illis, quae mox adjicit, ut sensum exprimat: praemonebit vos per legatum divinum, qui, si non est certus vir, quis est? Ipsum individuum Johannem Baptistam non quidem historice, i. e., clare et distincte, sed prophetice i. e. subobscure, nempe virum Eliae persimilem, cogitavit Propheta, sicut alii sacri vates, Messiam dicentes Davidem, profecto de aliquo certo viro cogitarunt. — Dies Jehovae magnus et formidabilis, seu quo Jehova magna et formidabilia patrabit, est tempus, quo suppliciis perdet inprobos Judaeos, nempe tempus belli contra Romanos, quo regio vastanda erat, conf. v. 24. Hic dies v. 2. dictus fuit dies legati foederis et Domini templi.

Malach. 3, 24.

וְהֵשִׁיב לֵב אָבוֹת עַל בָּנִים וְלֵב בָּנִים עַל אֲבוֹתָם פֶּן אָבוֹא וְהִכֵּיתִי אֶת־הָאָרֶץ חֵרֶם׃ ut reducat cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne veniam, et feriam regionem anathemate. — וְהֵשִׁיב, Alexandrinus satis apte ὃς ἀποκαταστήσει, nisi quod Vau praefixum, postulante orationis serie, vertendum fuisset ἵνα, ut; exprimitur enim finis, quo venturus sit ille Prophe-

ta. — לֵב Hebr. et Aram. = لُبّ cor, quod Hebraeis non tantum, sicut Latinis, pro intellectu, sed etiam pro animo seu dispositione voluntatis venit, uti vel ex phrasi יִשְׁרֵי לֵב, recti corde, patet, conf. et Ps. 7, 11. 11, 2. 36, 11. 78, 37. Num. 16, 26. 2 Sam. 7, 21. 2 Paral. 29, 31. Hinc transfertur quoque ad eam sapientiam, qua vita recte instituitur, ut Prov. 8, 5. 6, 32. 7, 7. 9, 4. 16. 10, 13. 21. 15, 32., atque de hac sapiente et pia animi dispositione nostro loco sermo est. Praemittendus nempe excidio promittitur Propheta, qui piam animi dispositionem, qualis erat in probis majoribus, instillet filiis seu posteris, et posterorum horum inprobam animi dispositionem emendet, et dispositioni proborum ac piorum majorum reddat conformem. His itaque explicatur illa c. 3, 1. memorata viae praeparatio; hinc apparet, verba haec nequaquam de compositione dissidiorum inter parentes et liberos capienda esse, ut interpretatus est Alexandrinus: ὃς ἀποκαταστήσει καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ, non enim dissidia familiarum et proximorum, sed alia prorsus delicta et scelera c. 3, 5. commemorata fuerunt, quae corrigenda erant, et quibus inquinati, nec emendati perdendi erunt. — הִכָּה (IV. a נָכָה) percussit, feriit, etiam de strage bellica et de immissione plagarum et calamitatum, tanquam poenarum, dicitur; hinc Syr. ܢܟܐ et Arab. نَكَى generatim significat nocuit, laesit, afflixit. — חֵרֶם proprie est sacrum, a حَرَمَ prohi-

buit, חָרַם et חֵרֶם vetitum, illicitum fuit tanquam sacrum, et in II. vetuit, venerabilem et velut sacrum reddidit; usu autem loquendi חֵרֶם est votum illud irrevocabile, quo civitas Hebraeorum, idololatriae dedita, internecioni devovenda erat, ut omnes eo efficacius a simili rebellione in regem Jehovam, deterrerentur, de quo plura dixi in Bibl.Arch. (Germ.) P. III. §. 115. p. 430—431. Ab aetate Davidis votum hoc saepe quidem commemoratur, sed in opus redactum fuisse non legitur. Est itaque ferire anathemate idem ac: internecione delere omne vivens, reliqua exurere, et regionem vastare, quod recte expressit Chaldaeus, qui vertit: ne adpaream et inveniam totam regionem in peccatis suis, et eam penitus deleam; non male quoqueSyrus ואמחיה לארעא לאבדן et feriam regionem ad perditionem; Alexandrinus: και παταξω την γην αρδην. Ceterum פֶּן ne, non tantum est negativum, prohibitivum, dissuasorium et dubitativum, sed notat etiam consilium praecavendi, etsi dein, conditione non posita, reapse consequitur, quod praecaveri debebat, ut locus nostro prorsus parallelus Hos. 2, 5. docet, conf. et Gen. 3, 3. 11, 4. 2 Reg. 10, 23. Jer. 38, 19. Prov. 9, 8. 26, 4.

Versio vaticiniorum Mal. 2, 17 — 3, 6. et 13 — 24.

Molesti estis Jehovae sermonibus vestris! 2, 17.
Ast dicitis: quibus molesti sumus? —

Cum dicitis: male agentes Jehovae pro-
bantur, et his favet; aut ubi est Deus
puniens? — „Ecce mittam legatum meum, 3, 1.
„qui praeparet viam ante me, et repente ve-
„niet ad templum suum Dominus, quem desi-
„deratis, nempe legatus quocum foedus pac-
„tum fuit, quem expetitis; ecce veniet", ait
Jehova omnipotens. Ast quis sustinebit diem 2.
adventus ejus? et quis subsistet, cum compa-
ruerit? erit enim sicut ignis conflatoris, et sicut
herba fullonum. Nam sedebit conflans et mun- 3.
dans argentum; mundabit scilicet posteros Levi,
et defoecabit eos sicut aurum et argentum, ut Je-
hova habeat offerentes cum probitate dona; et ac- 4.
cepta erunt Jehovae dona Judae et Jerusalem si-
cut diebus antiquis et annis pristinis. „Propin- 5.
„quus vobis ero ad judicium, et testis prom-
„tus contra praestigiatores, contra adulteros,
„contra pejerantes, contra defrandantes mer-
„cedem mercenariorum, (opprimentesque) vi-
„duas et pupillos, et contra evertentes pere-
„grinos, quin me timeant. Attamen ego sum 6.
„Jehova, qui non mutor, et vos Jacobitae non
„consumemini."

„Duri sunt sermones vestri contra me!" 13.
ait Jehova. Ast dicitis: quid loquimur
contra te? — „Dicitis": cassum est 14.
servire Deo, aut quod est emolu-
mentum, quum observamus, quae

observanda mandavit, et quum incedimus pullati coram Jehova omni-
potente? nam nunc quidem beati 15.
praedicandi sunt petulantes peccatores; non solum, cum inprobe agunt,
rebus suis augentur, sed etiam, cum
tentant Deum, salvi evadunt. — Atta- 16.
men timentes Jehovam (alia) colloquuntur invicem, et Jehova attentus audit, et scribitur coram Jehova commentarius pro timentibus Deum
et nomen ejus aestimantibus. „Erunt enim", 17.
ait Jehova omnipotens, „mihi illa die, quam „praeparo, peculium, et clementem me eis „exhibebo, sicut quis filio suo, qui obedit ei,
„clemens esse solet. Tum rursus videbitis dis- 18.
„crimen inter probos et inprobos, inter eos „qui colunt Deum, et eos qui eum non colunt.
„Nam ecce ille dies veniet ardens sicut clibanus, 19.
„et omnes petulantes peccatores et omnes inpro„be agentes erunt stipulae, ac inflammabit eos," ait Jehovae omnipotens, „ille dies venturus, qui
„ipsis nec radicem, nec ramum relinquet. Vo- 20.
„bis autem timentibus nomen meum orietur „sol justitiae, sub cujus alis erit sanatio; et „egrediemini et exsultabitis ut vituli saginae,
„et conculcabitis inprobos, erunt enim illa die, 21.
„quam praeparo, cinis sub plantis pedum ve-
„strorum," ait Jehova omnipotens. „Mementote 22.
„legis Mosis servi mei, quam ei in Choreb pro

„omnibus Israelitis mandavi, statuta et decreta.
„Ecce mittam vobis, antequam veniat ille 23
„dies Jehovae magnus et formidabilis, Eliam
„Prophetam, ut reducat cor patrum ad filios, 24
„et cor filiorum ad patres eorum, ne veniam,
„et regionem anathemate feriam."

Explicatio Mal. 2, 17 — 3, 6. 13 — 24.

In praemisso huic interpretationi exordio, quod rursus relegi velim, tum ex adjunctis illorum temporum, tum ex disertis scriptorum, a Malachia non multum distantium, verbis ostendimus, Judaeos Mal. 2, 17 et 3, 13 — 15. per ambages conquestos fuisse, quod nudis nominibus enunciatum offendisset illos, qui imperium in ipsos excercebant; inquietos nempe fuisse, quod Deus Persas, a vera religione alienos, non tantum non punit, sed fovet, et imperium ipsis prorogat, colentes autem ipsum Judaeos negligit, nec quidquam hucusque praeparat, quo tandem per Messiam, olim redituris ex captivitate promissum, et nunc jam fere 130 annos frustra exspectatum, in libertatem vindicaret, et gentiles imperio Judaeorum subjiceret, atque ita, ut Haggai 2, 6 — 8. coll. 20 — 23. praedixerat, et templum spendidius, et cultum divinum magnificentiorem redderet, conf. Mal. 1, 12 — 13. et Jes. 65, 16 — 25. 60, 1 — 62, 11. 63, 1 — 6. 54, 1 — 56, 9. 45, 14 — 15. 44, 1 — 5. 41, 15 — 18. 11, 1 — 12, 6. Mich. 4, 13. Hanc retardationem et moram Messiae querimoniis illis subesse, ex responso divino Mal. 13, 1. coll. v. 18., venturum esse, quem desiderabant et exspectebant, adeo manifestum est, ut

communis aetate Jesu fuerit Judaeorum sententia, vaticinia hacc agere dc liberatore gentis Messia, Matth. 11, 10 — 14. 17, 10 — 13. 16, 14. Luc. 9, 8. 19. 7, 26. 27. 1, 17. Marc. 1, 2. 9, 11 — 13. 6, 15. 8, 28. Joh. 1, 11., et id ipsum etiam recentiores doctissimi Judaeorum praeceptores agnoverint, ut Kimchius, Abenezra, Raschius seu Jarchius, aliique.

Sistitur nempe Messias primum, sicut ab antiquioribus prophetis, ut rex, cui venturo, more regum orientalium, per metatorem via praeparanda est. Nam quod Bauerus, in Scholiis, sub nomine Schulzii editis, contendit, legatum viam praeparaturum non esse diversum a domino ad templum suum venturo et legato foederis, contextui proximo et substratae materiae manifeste repugnat, quae docet, legatum, qui venturo viam praeparat, non posse esse eundem, cui via praeparatur, ut taceam hunc praeparaturum viam eundem esse, qui Mal. 3, 23. dicitur Elias, et ab insecuturo judice, regionem penitus vastaturo, adeo clare distinguitur, ut ipse Bauerus id h. l. diffiteri non potuerit.

Verum non solum rex annunciatur Messias, sed etiam omni rege longe augustior, dominus quippe dicitur templi, qui non erat alius quam Jehova, et legatus, qui olim illud foedus celeberrimum cum Hebraeis pepigit, qui rursus erat Jehova, et qui reapse in monumentis illis antiquis jam יְהוָה, jam מַלְאַךְ יְהוָה appellatur, et sub utroque hoc nomine olim Patriarchis et demum Mosi in symbolis apparuit et locutus est, sibi opera divinae pro-

videntiae tribuit, ac foedus cum Abrahamo, et demum cum ejus posteris ad montem Sinai pepigit, Gen. 15, 1 — 21. coll. 22, 11. 15 — 18. 16, 3. 17, 1 — 21. 18, 17 — 19. 26, 2 — 5. 28, 12 — 15. 31, 11 — 16.; Exod. 23, 20 — 23. et 24, 1 — 8. coll. 3, 2. 4. 6 — 7. 14, 19. 24 — 25. Dein dux erat Hebraeorum per Arabiam petraeam Exod. 23, 20 — 23. 24, 1 — 8. Num. 20, 16.; porro adparuisse legitur Josuae, Gideoni, ac Manoacho et uxori ejus, Jos. 5, 13 — 15. coll. 6, 2 — 5. Jud. 6, 11. 14. 16. 21 — 22. 13, 3 — 21. Qui in libris subsequentibus passim memoratur legatus seu angelus, nec nomen Jehovae, nec opera divina sibi tribuit; quare loca hujus generis nunc quidem in censum venire nequeunt. Ast inde concludendum non est, ideam hujus legati divini, temporis progressu antiquatam fuisse; nam recurrit non solum Jes. 48, 12 — 17. et 63, 9., sed etiam Zach. 2, 12 — 15. 3, 1 — 7. 4, 8 — 9. 11, 4 — 13., atque auctorem Ps. 110. v. 1 et 5. ponere, eam in vulgus notam fuisse, in sequentibus ostendemus. Exceptionem illam, hunc legatum nequaquam proprie Jehovam fuisse, sed solum nomine Jehovae egisse et locutum fuisse, sicut scriba, mandata regis calamo excipiens, nomine regis scribit, locum habere non posse, jam in Hermeneutica p. 112. in nota vidimus. Quidcunque autem aliud fortasse de omnibus his locis statuere placuerit, firmum tamen et inexpugnabile manet, Hebraeis ideam legati Jehovae, qui et ipse dicitur et est Jehova, nullo tempore defuisse; atque nec post Malachiam ex animis eorum effluxisse, comprobari fortasse posset testimoniis auctorum Eccle-

siastici et libri sapientiae; quia autem loca illa, fortasse huc spectantia, in diversas partes trahuntur, ipsis utendum esse non censeo, nec opus esse video; sufficiunt enim enunciata tabularum N. F., quae ideam hanc hoc adhucdum aevo in vulgus notam fuisse sumunt, uti cum dicitur Joh. 1, 11. Jesus venisse εις τα ιδια, id vero, coll. Joh. 16, 32. 19, 27. Act. 21, 6. et Vetstenio ad h. l., est, ad domum seu familiam suam, populum suum, seu Hebraeos, qui tamen erant populus Jehovae; ita etiam cum Joh. 12, 41. refertur, Judaeos, visis licet miraculis, non credidisse in Jesum, prout Jesaias c. 6, 9 — 10. dixerat, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo, nempe de Jesu, ὅτε ειδε την δοξαν αυτȣ και ελαλησε περι αυτȣ, Jesaias autem, c. 6, 1 — 8. vidit gloriam Jehovae et locutus est de Jehova; porro haec idea subversatur, cum 1 Cor. 10, 9. cavetur, ne tentemus Christum, καθως και τινες αυτων επειρασαν (nempe Χριστον), και ὑπο των οφεων απωλοντο, illi autem Num. 21, 5. 7. tentaverant Jehovam; rursus Hebr. 11, 26. dicitur Moses thesauris Aegyptiorum praetulisse improperium Christi, τον ονειδισμον τȣ χριστȣ, quod tamen erat improperium Jehovae Exod. 1, 11 — 22. 2, 11 — 15. et 5, 2.; porro Hebr. 12, 24 — 26. dicitur vox Jesu olim, cum lex perferebatur in monte Sinai, terram movisse, quod Exod. 19, 16 — 21. 20, 1 — 2. 15 — 17. voci Jehovae tribuitur; denique 1 Petr. 1, 11. dicuntur Prophetae, qui vaticinati sunt de salute per Christum procuranda, scrutati fuisse, quod aut quale tempus indicaret, qui in ipsis erat

spiritus Christi, το εν αυτοις πνευμα χριστε, hic autem erat spiritus Jehovae. His id unnm addo, etiam interpretem Alexandrinum hunc summum Jehovae legatum indicare, cum Jes. 9, 5. אֵל גִּבּוֹר vertit μεγαλης βελης αγγελος.— Dubitari itaque nullatenus potest, ideam hancHebraeis omni aevo fuisse familiarem.

Haec divina hujus legati dignitas, Hebraeis omni tempore nota, ab ultimo Prophetarum Malachia c. 3, 1. diserte transfertur in Messiam, et ita praeparata fuit via, qua demum Judaei eo adduci possent, ut Messiae Jesu divinitatem agnoscerent, uti reapse permulti agnoverunt *). Reliqui, qui hac dignitate offendebantur, Joh. 8, 53 — 59. 10, 24 — 29. 33.

*) Hujus doctrinae Apostolorum, Christum, seu τον λογον, in A F. visum et locutum fuisse Patriarchis et Prophetis, tenax custos erat ecclesia primitiva; nam omnes scriptores ecclesiastici unanimes eam profitentur usqoe ad Augustinum, qui primus, etiam Deum Patrem in A. F. visum fuisse, asseruit, ut se facilius expediret objectione Arianorum, qui contendebant, Filium, τον λογον, qui olim visus est, esse non posse ὁμοεσιον Patri, qui nunquam visus fuit et prorsus invisibilis est. Conferatur Augustin, de Trinit. II. 9 — 18. Serm. 7, nro. 4. et al. I. Theologia e S. Augustini libris excerpta. Ven. 1769. T. I. p. 126. Petavius de Dogm. Theolog. T. II. L. I. c. 3 — 9. p. 18 — 41. edit Venet. 1757. Bullus Defens. Fidei Nicaen. T. I. c. 1. p. 20 — 80. ed. Ticin. 1784. atque inprimis Henke's Magazin für Kirchengesch u. Exeg III. B. 1 — 3. Stück et Müntscher Dogmengesch. II. Th. § 203. S. 257 — 258. III. Th. §. 524. 573. S. 523. 534. Wundemann Gesch. der Glaub. Lehr. I. Th. S. 300 — 301. Justin. Apolog. maj. p. 86. Dial. cum Triph. p. 283. 357. Theophil. Antioch. ad Autolyc. II. 31. p. 171. Irenaeus IV. 20. 22. §. 11. p. 256. et III. 46. Tertull. contra Praxeam c. 7. 16. Clemens Alex. Paedag. I. 7.

Matth. 26, 64 — 65. Marc. 14, 63 — 64. Luc. 22, 69., vaticinia non ea, qua oportuit, animi integritate et contentione perscrutati erant, Joh. 5, 39., et hinc adventum legati divini, Hebraeis foederati, ad templum suum, cogitabant talem, qualis locis aliis non

---

Greg. Nyss. de cognit. Dei. Greg. Naz. orat. 14. Chrysostom. Hom. 48. in Gen. Basilius contr. Eunom. et contra Judaeos c. 9. Cyprianus contr. Jud. II. 6. Epiphanius in Ancorat. Eusebius Demonstr. Evang. c. 5. Hist. Eccles. X. 4. Athanasius apol. pro fuga. Ambrosius praef. in Luc. etc. etc. Ceterum si quaeritur, qualem illi antiqui Hebraei animo conceperint hunc legatum Jehovae et simul Jehovam: id unum responderi potest certum, non credidisse duos deos; cetera conjecturis nituntur, fortasse tamen non longe a vero aberraverit, qui dixerit, eos cogitasse hunc legatum fere talem, qualem Thalmudici eruditis sistunt מְטַטְרוֹן, et qualem Paraphrastes Chaldaei plebi offerunt מֵמְרָא דַיהוָה. Nam etsi Rabbini de suo Mittatron non pauca inepta nugantur, idea tamen communis redit ad legatum Dei increatum. Conf. Eisenmengers Entdecktes Judenthum. II. Th. S. 393—401. et Wolfii Biblioth. Hebr. T. I. p. 360. Ita etiam Paraphrastes Chaldaei persaepe quidem simpliciter Memra daihova pro Jehova scribunt; sunt tamen loca non pauca, quibus illum legatum hoc nomine indicant, ut Onkelos Gen. 3, 8. 20, 3. 49, 14. Num. 21, 5 — 7. 23, 21 — 26. Deut. 1, 26. 29 — 30. et Tharg. Jerosol. Gen. 3, 22. et al. l. Philonem, qui hanc ideam ideis Platonicis miscuit, non moror; conferri possunt, si lubet, loca de Somn. p. 583. 600. 632., de Cherubim mox ab initio, de linguar. confus. p. 371. 414. 427. de opif mund. T. I. p. 5. Alleg. III. T. I. p. 221. et in Fragm. Euseb. T. II. p. 625. ac apud Justin. et alia l. Mihi quidem haec idea jam dudum similis visa fuit ideae Zoroastris de Feruero Ormuzdis; nam hic Feruerus docente ipso Ormuzde (in Zend-Avesta P. I. Izeschne Ha 23 — 24. p. 112. et Vendidad

paucis memoratur adventus Jehovae, quo tamen non amplius significatur quam eminens quaedam operatio Jehovae, scilicet vel collatio insignium beneficiorum, vel irrogatio acerbarum poenarum, Jes. 30, 27. 35, 4. 40, 3 — 5. 10. 66, 15. Ps. 50, 3. 94, 1 — 2. 96, 3. 98, 6. 101, 2. Joh. 14, 23., cui formulae loquendi alias substituitur phrasis dies Jehovae, Amos 5, 18. 20. Jes. 13, 6. 9. Joel 1, 15. 2, 11. 3, 4. 14. Obad. 15. Zeph. 1, 7. 14. Ps. 118, 24., ubi etiam adventus Domini templi et legati foederati dicitur Mal. 3, 2. 16. 19. 21. 23. dies hujus legati, et dies Jehovae. Atque in hoc non errabant, sed id, quod erat praecipuum, negligebant, de adventu Messiae esse sermonem, et Messiam dici Dominum templi et legatum foederis, atque venturum, ut alias Jehova

---

Fargard XIX. p. 377 e vers. Kleukeri), invocandus et adorandus est ut ipse Ormuzdes, et tamen non sunt duo Ormuzdes. Ita etiam legatus Jehovae simul Jehova cogitari poterat, quin duo cogitarentur Jehovae. Dein si Feruerus quilibet (nam cuilibet creaturae, praesertim viventi, Feruerus tribuitur) est perfectissima expressio cogitationis creatoris Ormuzdis, applicata singulari objecto, et reapse subsistens, ut, referente Anquetil du Perron in Zend-Avesta P. I. p. 12 — 13. et p. 82 in nota k., docent Mebestani: Feruerus Ormuzdis erit perfectissima expressio cogitationis, qua creator Ormuzdes se ipsum cogitat, et reapse subsistet. Haec, inquam, similia videntur ideae Judaeorum de Mittatron et Memra daihova, et si haec affinis est ideae legati Jehovae et simul Jehovae: videtur Zoroaster ab Israelitis, in Media exulantibus, quaepiam didicisse, quae demum suo modo excoluit. Verum id suo loco relinquimus; sufficiat, modum aliquem ostendisse, quo antiqui Hebraei legatum Jehovae simul Jehovam credere potuerint, quin duos deos crederent.

venturus dicitur. Quare locus noster Mal. 3, 1., non quidem coaevis Prophetae, qui sciebant, se desiderare Messiam, et legebant sibi promitti, quem desiderabant, poterat esse obscurus; sed, generatim spectatus, recentioribus lectoribus, ad illud desiderium Messiae minus attentis, potuit videri ambiguus, et de sola irrogatione poenarum intelligendus. Verum, ut mox diximus, negligendum non fuisset, desideratum aevo Malachiae fuisse Messiam, et promitti hoc loco eum, qui desideratus fuit; et demum meminisse oportuit, illustrationem vaticiniorum ambiguorum aut obscurorum, ab eventu pendere, ideoque diligentius observanda fuissent ea, quae Jesus sibi tribuit, et quibus extraordinariis operibus, etiam quum jam non versaretur in terra, dignitatem suam, participationem nempe regiminis divini, comprobavit, Act. 2, 1 — 13. coll. 27 — 39. 41. 3, 6 — 26. coll. 4, 4 — 12. etc.; ipsa quoque eversio urbis Jerusalem et vastatio regionis, quam non solum Malachias, sed, ut paulo post ostendemus, etiam Daniel Messiae tribuit, attentius consideranda fuisset, atque hoc modo Judaei, ut permulti eorum contribules, facili negotio observassent, hunc adventum Messiae ad irroganda Judaeis inprobis supplicia, prorsus quidem similem fore illi, qui alibi saepius memoratur adventus Jehovae, et non conspicitur oculis, sed ex insolitis singularibus operibus argumentatione concludendus est, et nihilominus non proprie de Jehova mittente legatum foederis, sed de misso hoc legato, qui et ipse est Jehova, sermonem esse. Sistitur nempe hoc effato

Messias jam divina majestate indutus, qui eo modo, quo alias Jehova, nempe invisibilis, venturus esse dicitur, unde recte quoque hic adventus Messiae in subsequentibus v. 16. 21. 24. dies Jehovae dicitur, de divina enim, ut mox observavimus, Messiae majestate, potestate et gubernatione sermo est.

Vaticinii itaque sensus est: ille, quem desideratis, Messias omnino venturus est, sed non erit, quem exoptatis, bellator, qui ethnicorum imperium evertat, et gentes vobis subjiciat, sed judex divina dignitate indutus, qui inprobos Judaeos, et inprimis duces ceterorum, posteros Levi, atrocissimis poenis perdet, nihilominus non penitus exterminabimini. Praecedet autem legatus seu propheta, austeritate vitae et severitate reprehensionum Eliae similis, ut animos Judaeorum disponat, seu eum sensum ipsis inspiret, quo majores eorum, Abraham, Isaac, Jacob etc., animati erant, quo conatu irrito, regio prorsus vastabitur.

Hic legatus, seu propheta metator venturi Messiae, adeo insigniter notatus est, ut nemo non possit agnoscere Johannem Baptistam, cujus acerrimae admonitiones non pauca quidem emendarunt, maxima tamen parte effectu caruerunt, uti Mal. 3, 23, 24. futurum esse, subobscure innuitur. Conf. Matth. 3, 1 — 12. Marc. 1, 1 — 8. et Luc. 1, 20. 3, 1 — 3. 7 — 17.; Matth. 11, 1 — 15. *) 17, 11 — 13. coll. Marc. 9,

*) Mirari subit, quosdam interpretes, uti Joh. D. Michaelis, Matth. 11, 14. εαν θελετε δεξασθαι, αυτος εστιν

11 — 13.; Joh. 1, 20 — 27. — Notis quoque clarissimis adumbratur strages Judaeorum in bello cum Romanis, quod vastatione metropolis et regionis terminatum fuit; scelera quoque perstringuntur horum rebellium, Mal. 3, 5., quae etiam Josephus saepius attingit, uti de Bell. IV. 9, 10. V. 13, 5. VI. 8, 5. et VII. 8, 1. Verum integra historia hujus belli legenda est. Conf. Bibl. Arch. meam Germ. P. II. T. II. §. 137 — 161. p. 140 — 200. — Haec perspicuitas hujus vaticinii de Johanne Baptista, bello Judaico et vastatione regionis, confirmat, quod in praecedentibus ostendimus, Malach. 3, 1. seqq. praedici invisibilem Jesu adventum ad excidium Jerosolymorum, quod et ipse constanter sibi attribuit.

Jesus Joh. 3, 17. quidem dicitur **non venisse**, ἱνα κρινῃ τον κοσμον, αλλ' ἱνα σωθῃ ὁ κοσμος δι' αυτȣ, **ut puniat mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum**; et rursus Joh. 12, 47. ait: ȣ γαρ ηλθον, ἱνα κρινω τον κοσμον, αλλ' ἱνα σωσω τον

Ηλιας, ita intelligere, ac si Jesus arbitrio Apostolorum reliquisset, ut, si vellent, Johannem existiment promissum Eliam, cum tamen notissimum sit, δεχεσθαι, לָקַח, **accipere**, idem valere ac **discere**, uti et לֶקַח venit pro doctrina, *Prov.* 1, 5. 7, 21. 9, 9. 16, 21 Job. 11, 4. Jes. 29. 4. 2 Cor. 11, 4. Jac. 1, 21. Conf. Kvinoel Comment. in Libros hist. N. F. T. I. p. 312. Accedit quod Jesus in antecedentibus hujus loci Matth. 8, 8 — 15. Luc. 7, 24 — 28. atque etiam Matth. 17, 12 — 13. et Marc. 9, 13. disertis verbis affirmet, Johannem esse promissum Eliam.

κοσμον *), non veni, ut puniam mundum, sed ut salvem mundum. Verum ὁ κοσμος, quem non puniendum a se profitetur Jesus, significat gentiles, quos, ut testimoniis Judaeorum comprobat Lightfootus ad Joh. 3, 17., a Messia puniendos fore fingebant Judaei; dein de primo suo adventu loquitur his locis, quae conferenda sunt cum aliis, quibus diserte praedicit, se, potestate divina instructum, esse venturum, ut Judaeos inprobos meritis poenis afficiat, et metropolim eorum evertat, Matth. 24, 37 — 41. coll. Luc. 17, 24 — 32. et Marc. 13, 26. 30.; Matth. 11, 13 — 14. coll. Luc. 7, 27.; Matth. 26, 64. coll. Marc. 14, 62. et Luc. 21, 27.; Matth. 17, 10 — 12. coll. Marc. 9, 10 — 13. Luc. 12, 15. Joh. 21, 22. Idipsum etiam mox in principio Johannes Baptista comminatus est, Matth. 3, 7 — 12. coll. Luc. 3, 7 — 9. 17. Duplex enim adventus Messiae, ut jam vidit Justinus Apol. maj. p. 87 et Dial. cum Tryph. p. 264., et in V. et in N. Foedere distinguendus est: primus visibilis ad docendum et patiendum, quem Zacharias, Ezechiel, Jeremias, Jesaias, aliique Prophetae praedixerunt; alter invisibilis ad supplicia inprobis Judaeis inferenda, ad evertendam Jerusalem et vastandam regionem, de quo loquitur Malachias, et, ut paulo post ostendemus, etiam Daniel. Loca Prophe-

*) Κρινειν h. l. esse punire, contextus et substrata materia docet, et confirmant loca parallela Joh. 5, 24. 18. 31. et alia, conf. שפט et דין ac Kvinoel Comment. in LL. Hist. N. F. T. III. p. 215.

tarum huc spectantia adeo perspicua sunt, ut Judaei recentiores vaticiniis diligentius excussis, ad eludenda Christianorum argumenta duos fingerent Messias, alterum humilem et patientem e tribu Joseph vel Ephraim, et alterum excelsum et gloriosum regem e tribu Juda, de qua sententia aetate Jesu et in antiquioribus libris Judaeorum nullum apparet vestigium. Qui ante Jesum vixerunt Judaei, collatis his duplicis generis vaticiniis, non poterant non haerere ancipites et exspectabundi, qua ratione haec, in speciem sibi adversantia vaticinia opere complenda forent, ut etiam reperimus, Apostolos usque ad ascensionem Jesu fuisse spe quidem plenos, sed dubios, qualem exitum haec sortitura essent, Act. 1, 6.; atque ita agere omnes Judaei debuissent, si mens non laeva fuisset.

„Ast potuitne Malachias Messiam, etsi regem celsissimum, hominem tamen, simul cogitare Dominum „templi, legatnm, qui olim cum Hebraeis foedus „pepigit et Jehova erat?" — Si Propheta ipse respondere posset, dubio procul pancis diceret, se scripsisse, quod divina revelatione didicerat, non magis autem percepisse, quam illnd, quod mox sequitur, supplicium Judaeorum, qua ratione cum aliis laetioribus de Messia vaticiniis conciliandum, aut qua ratione inprobis Judaeis inferendum esset; adderet fortasse, hanc quaestionem prorsus non fuisse movendam, cum jam plures antiquiores prophetae professi fuerint, se non perspexisse, quae praedicebant, sed demum lectoribus futuri aevi fore pervia et clara, ut

Jesaias 6, 9 — 13. 29, 10 — 14. 28., Jeremias 23, 20. 30, 34., Ezechiel 33, 33., Daniel 7, 28. 8, 27. 12, 8 — 9., et Zacharias 2, 13 — 15. 4, 9 — 6, 15. Hoc idem Paulus 1 Cor. 2, 9. verbis Jesaiae 64, 3. Christianos docuit: ἁ οφθαλμος ȣκ ειδε, και ȣς ȣκ ηκȣσε, και επι καρδιαν ανθρωπȣ ȣκ ανεβη, ἁ ἡτοιμασεν ὁ θεος τοις αγαπωσιν αυτον, nempe asseclis Messiae Jesu. Conf. quoque Tit. 1, 2 — 3. 2 Petr. 1, 20. — Qui opponunt, sermones, qui nec a Prophetis, neque a primis lectoribus intelligebantur, fuisse inutiles, non observant, vel dissimulant, aliud esse, p r o r s u s n i h i l d e v a t i c i n i o i n t e l l i g e r e, quod nec de Prophetis, neque de primis lectoribus ullatenus dici potest, et quod solum inutiles reddidisset sermones, quos proferebant; et aliud esse, o b s c u r e q u i d e m e t g e n e r a t i m i n t e l l i g e r e, s e d n o n p l e n e p e r s p i c e r e, n o n p e n i t u s c o m p r e h e n d e r e, e t m o d u m, q u o h a e c d e m u m e v e n t u r a e s s e n t, n o n p e r v i d e r e, quod nobis ipsis in pluribus doctrinis, promissionibus et comminationibus N. F. contingit, quin ideo inutiles sint aut dici possint, cum utilissimas esse ipsi sentiamus. Animadvertendum etiam est, Prophetas plura vaticinia n o n s o l i s c o a e v i s s u i s, sed etiam, et quidem quam maxime p o s t e r i s consignasse, quod ipsi contestantur, cum dicunt, futuro demum aevo intellectum iri, quod vaticinantur, conf. etiam 1 Petr. 1, 7 — 12. 2 Petr. 1, 19 — 21. Ita et Malachias et primi ejus lectores satis intelligebant, Messiam esse venturum, et fore Dominum templi ac legatum illum, qui olim foedus cum

Hebraeis icit, nempe Jehovam; qua autem ratione Messias homo, simul Dominus templi et Jehova esse et dici possit, non percipiebant; Apostoli demum, quatenus fieri potest, cognoscebant. Si autem quaerimus, quid Propheta haec scribens cogitaverit: ex iis, quae supra de hoc divino legato diximus, verisimile est, adventum cogitasse fere talem, qualis alias memoratur adventus Jehovae, qui nonnisi per opera insignia manifestatur. De ενσαρκωσει cogitasse, quamquam mox aliud simile de hac dignitate Messiae vaticinium tractabimus, affirmare tamen non possumus; nam modus, quo vaticinia in effectum deducenda essent, raro revelatus fuit *).

„Ast Mal. 3, 3 — 4. posteri Levi purgandi esse „dicuntur, ut Deus habeat offerentes dona cum pro-„bitate, et dona Judae et Jerusalem, ut olim, ei „grata sint; et Mal. 3, 22. monentur universi Judaei, „ut memores sint legis Mosis, statutorum et decreto-„rum; utrumque autem magis convenit aevo Macca-„baeorum, quam Messiae Jesu, per cujus doctrinam

*) Mittimus itaque ea omnia, quae Dr. Bertholdus in Christologia Judaeorum aetate Jesu et Apostolorum, Erlangae 1811, §. 23 — 27. p. 104 — 155. magno studio, sed, quod dolendum, sine crisi, hac de re congessit, non tantum quia de antiquiori aevo agimus, et illa omnia sunt recentiora, sed etiam quia pleraque sunt incerta, dubia, ambigua, et partim ex libris suspectae fidei hausta, aut saltem unius duntaxat alteriusve Judaei singularem sententiam complectuntur; fortasse similis farrago sententiarum de Jesu ex Christianis ascetis et mysticis theologis congeri posset; ast quantae esset auctoritatis?

„ lex Mosis abrogata, et praerogativa posterorum Levi „ abolita fuit, ac demum eversis Jerosolymis dona Ju- „ dae et Jerusalem offerri desierunt." — Haec, quae his verbis innuuntur, si sola et singillatim spectentur, aliquam veri speciem prae se ferunt, quae autem disparet, si confertur, quod eodem hoc divino effato praedicitur, supplicium inproborum Judaeorum et inprimis posterorum Levi; nam, ut de metatore praemittendo et plena et perpetua regionis vastatione taceam, aetate Maccabaeorum probi et pii quam maxime calamitatibus premebantur, et permulti extremo supplicio afficiebantur, aut in praeliis interficiebantur, in bello autem cum Romanis et eversione Jerosolymorum colluvies impiorum et sceleratorum rebellium, passa est extrema, et posteritas Levi praerogativam amisit, et vel ideo maximam noxam perpessa est. Verba vaticinii caute selecta sunt, quibus dicitur, Deo fore offerentes cum probitate dona, nec ulla fit victimarum aut Levitarum mentio, ut de quibuscunque etiam aliis, dona qualiacunque offerentibus, non exclusis probis Levitis, intelligi possint, ut de offerentibus dona ad sustentationem sacrorum ministrorum aut pauperum, ad sacra aedificia, ad cultum divinum et ad alia similia, quibus societas religionis carere non potest. Verba profecto late patent, et si haec latior interpretatio seriei orationis et substratae materiae non satis arcte juncta esse videtur: certum tamen est, latiorem hujus generis sensum etiam aliis quibusdam Prophetarum locis subesse. Exemplum praebet ipse Malachias c. 1, 11., ubi dicit, nomen Jehovae

inter gentes ab ortu solis usque ad occasum esse magnum, et in omni loco ei offerri incensa et dona munda, מֻקְטָר מֻגָּשׁ לִשְׁמִי וּמִנְחָה טְהוֹרָה, quibus alia indicari non possunt, nisi vel dona a Persis tradita Judaeis ad templum et ad cultum divinum restaurandum et continuandum Ezr. 1, 7 — 11. 4, 17 — 22. 7, 15. 19 — 23. 8, 24 — 30. Neh. 2, 8.; vel dona et incensa a Mehestanis oblata Ormuzdi, quae ad verum Ormuzdem, i. e., regem magnum, nempe Jehovam relata sistuntur, conf. Mal. 1, 14.; vel denique dona, in Christiana ecclesia Deo offerenda, ut sententia in Futuro vertenda sit; quodcunque horum sumseris: commoda et benigna interpretatione utendum est, quae, cur non etiam nostro loco tenenda sit, non video; id saltem apparet, verba esse ambigua, quorum sensus ab eventu pendet, qui ostendit, non de Levitis, sed de aliis offerentibus cum probitate, nempe Christianis, esse sermonem. Conf. Jes. 66, 20 — 21. Nec obstat, quod adjicitur, Deo, ut olim, grata fore dona Judae et Jerusalem; nam ecclesia, tum prorsus ignota, alia imagine, aut verbis propriis exprimi non potuit. — Monitum autem Mal. 3, 22. prorsus nullam creat difficultatem; nam lex Mosis, tum civilis, tum ecclesiastica, erat omnino observanda, quamdiu Hebraeorum respublica et ecclesia persistebat; quid autem, et hac et illa per eversionem Jerosolymorum et vastationem regionis abolita, futurum esset, vaticinium lectori cogitandum relinquit.

Effato divino de summa et divina Messiae dignitate Mal. 3, 1. parallelus est Psalmus 110.; et vaticinio de suppliciis, quae Messias inprobis Judaeis inferet, et de vastanda per eum regione Mal. 3, 2 — 5. 16 — 24. respondet effatum divinum Dan. 9, 25. seqq. Quam ob rem jam Psalmum 110 interpretabimur, cui subjungemus Dan. 9.

Ps. 110.

Diversae sunt de objecto et occasione hujus Psalmi sententiae. Recentissimus interpres de Wette scribit, sibi hoc carmen legenti, vel invito, occurrere Johannem Hyrcanum. Borhek in Comm. super Matth. 22, 41 — 46. Ps. 110. adcommodat Salomoni, conf. Eichhorns Biblioth. der Bibl. Lit. VI. 315 ff. Anonymus in Gableri neuesten theol. Journal VIII. 536. ff. videtur sibi in hoc Psalmo videre rebellionem Absalomi, in qua David jubetur esse bono animo. R. Salomo Jarchi seu Raschi eum refert ad Abrahamum! Aben Ezra confert 2 Sam. 21, 15 — 17., ut David, post illud praesens in praelio vitae discrimen, moneatur, ne rursus in aciem descendat; sed longe diversa sunt, se non rursus committere praelio, et ad dexteram Dei sedere. Moses Mendelsohn in vers. Germ. Psalm., et Dav. Friedlaender in: Berliner Monatschrift. Decemb. 1786. N. 15., ex 2 Sam. 11 et 12, 27. seqq. explicant Psalmum, ut David jubeatur manere in Zion, cum Joab urbem Rabbath Ammon oppugnabat; verum rex Ps. 110, 5 — 7. sistitur dimicans in praelio, et demum

fugientes hostes persequens. Duo Thargumim in Polyglottis referunt ad Davidem, solium sub Saulo exspectantem; sed aliena, quae verbis non insunt, obtrudunt vati. Antiquiores autem alii Judaei, ut Thalmudici Sanhedr. f. 108. 2., auctor Midrasch Tehillim Ps. 2 et 18, 15., auctor Bereschit Rabba 85. 10., Saadias Gaon ad Dan. 7, 15., Abkat Rochel p. 80., Jalkut ad Ps. 110, 1 — 2., uti et Judaei aetate Christi, Psalmum interpretantur de Messia, Matth. 22, 41 — 46. Marc. 12, 35 — 37. Luc. 20, 42 — 44. De his omnibus explicato Psalmo sententiam ferre, non erit difficile.

Ps. 110, 1.

An inscriptio hujus Psalmi לְדָוִד מִזְמוֹר, sicut Ps. 23, 1. 40, 1. 101, 1. 109, 1., auctorem Davidem indicet, Davidis Psalmus; an vero, ut frequens similis formula לַמְנַצֵּחַ מִזְמוֹר, et formula לִבְנֵי קֹרַח מִזְמוֹר Ps. 47, 1. 49, 1. 58, 1. 84, 1. 87, 1., eum, cui Psalmus dedicatur, innuat, Psalmus ad Davidem, vel pro Davide; vel an haec inscriptio, ut Ps. 139, 1., a posteriori manu ex conjectura adjecta fuerit, et a veritate aliena sit, disputatur, et lis ex argumento Psalmi dirimenda est: de ea demum exposito Psalmo videbimus. — מִזְמוֹר canticum, psalmus, a זָמַר putavit vites, ut زمر; verum in II. forma, quae fere est denominativa, זִמֵּר et Aram. זַמַּר = زمّر cecinit.

נְאֻם יי effatum Jehovae, frequentissima Prophetarum de divinis revelationibus formula, qua etiam pseudoprophetae abusi sunt, conf. Jer. 23, 31.;

in Psalmis autem aliis hoc sensu nunquam obvia; nam Ps. 36, 2. tropice pro fixa sententia usurpatur. Exordium itaque hujus carminis singulare, insolitum et solemne promittit revelationem magni momenti, cui argumentum, uti videbimus, adprime respondet. — נְאֻם Partic. pass a نَأَمَ i. q. أَنَّ gemuit et fere anhelando spiravit; striduit sono arcus; mussitavit, mutivit, rugiit leo, fremuit dorcas, et نَئِيم mussitatio, debilis, oculta et submissa vox, unde verbum, fortasse primum de necromantis, qui responsa sua, ne fraus detegeretur, mutata, debili et submissa voce mussitabant, usitatum, dein ad revelationes divinas et sermones Prophetarum translatum fuit.— לַאדֹנִי ad dominum meum, i. e., regem, qui eminenter dominus dicitur hodiedum in aulis principum, ubi der Herr idem valet ac monarcha. Hebraei regem alloquentes compellabant, אֲדֹנִי הַמֶּלֶךְ domine mi rex! Significatio vocis, Arabibus ignotae, Phoenicia dialecto comprobatur, in qua consueta salutatio erat avo doni (adoni) חֲוֵה אֲדֹנִי vive felix domine mi! Plautus in Poenulo Act. V. 2. p. 79. T. III. ed. Bothe Berol. 1810 et conf. Bellermann Versuch einer Erklaer. der Punischen Stellen im Poenulus des Plautus, zweytes Stück. 1807. Berl. p. 15 — 16. Ambo Thargumim in Polyglottis vertunt: אֲמַר יי׳ בְּמֵימְרֵיהּ dixit Jehova ad verbum suum, ut me constituat regem super universum Israel; en Jehovae legatum Jehovam.

שֵׁב לִימִינִי sede ad dexteram meam, eloquium divinum *ἀπαξλεγομενον* et audacius, nisi Psaltes revelatione divina munitus fuerit. Tropica haec phrasis participationem gubernationis divinae significat, quae regibus Hebraeorum, qui in theocratica regiminis forma erant Dei vicarii, aliquo quidem sensu tribui poterat, alias tamen per sessionem coram Jehova exprimitur, ut Ps. 61, 7 — 8. יֵשֵׁב עוֹלָם לִפְנֵי יי sedebit in aevum coram Jehova, cui vicinum legitur Ps. 51, 13. אַל תַּשְׁלִיכֵנִי מִלְּפָנֶיךָ non abjice me (sit verbis venia) de coram te, i. e. de throno regni, ut Saulo contigit; uti etiam Ps. 41, 13. וַתַּצִּיבֵנִי לְפָנֶיךָ לְעוֹלָם et constitues me coram te in aevum. Historici Arabes de Chaliphis, et historiae ecclesiasticae scriptores recentiores de primatibus ecclesiae dicunt: tot annos sedit, loco regnavit, et جَلَسَ proprie dicitur de judice pro tribunali sedente. — יָשַׁב et Aram. יְתִב sedit, dicitur etiam de Deo omnia gubernante, ut Ps. 29, 10. וַיֵּשֶׁב יי מֶלֶךְ לְעוֹלָם et sedebit Jehova rex in aeternum; et Ps. 9, 8. יי לְעוֹלָם יֵשֵׁב כּוֹנֵן לַמִּשְׁפָּט כִּסְאוֹ Jehova in aeternum sedebit, firmavit ad regimen thronum suum, conf. etiam Ps. 99, 1. 47, 9. 102, 13. 103, 15. Recte itaque hanc sessionem ad dexteram Dei Paulus 1 Cor. 15, 25. exposuit per *βασιλευειν* regem esse, regnare, et apte Hebr. 1, 13 — 14. opposuit *λειτουργειν* ministrare. Vide quoque Eph. 1, 20 — 23. et meam Hermen. §. 39, p. 119. Conferri possunt, quae in Bibl. Arch. (Germ.) II. Th. II. B. §. 166. S. 228 — 229. dixi de throno, qui tropice

pro regno venit. De aequalitate vel familiaritate utitur hac phrasi Jesu filius Sirach 12, 12.

עַד אָשִׁית אֹיְבֶיךָ הֲדֹם לְרַגְלֶיךָ donec ponam hostes tuos scabellum pedum tuorum. Thronus regum in oriente illo aevo erat sedes alta, ex qua pedes non attingebant pavimentum; quare opus erat scabello, in quo pedes quiescerent, uti dixi in Bibl. Arch. (Germ.) II. Th. II. B. §. 166. S. 227 — 228. Nro. III., ubi conf. adjectam tabulam aeneam XI. Nro. III. Id non adverterunt, qui opinati sunt, hanc phrasim alludere ad morem Jos. 10, 24 — 25. occurrentem, colla hostium captorum pede calcandi, quod autem non est sedentis in throno, sed victoris stantis in campo aciei. Phrasis illa inde deducta est, quod orientales soliti sint, se ad pedes regum prosternere, ut subjectionem suam et obsequium profiteantur. Paucis: phrasis notat subjectionem, ut Ps. 8, 7.: omnia subjecisti sub pedes ejus, oves et boves etc. Quare sensus est: donec hostes tuos tibi subjiciam, seu donec rem eo deducam, ut hostes tui se ad pedes tuos prosternentes, obsequium suum profiteantur. — עַד donec, usque, non id intendit, ut subjectis hostibus non sedeat ad dexteram Jehovae; nam particula haec persaepe includit ulteriorem durationem, quam etiam h. l. substrata materia postulat, conf. Gen. 49, 26. Jes. 64, 4. Ps. 71, 18. Dan. 1, 21. et 10, 1. Jer. 1, 3. coll. 43 — 44. et Noldii Concord. Partic. Hebr. sub h. v.

Ps. 110, 2.

מַטֵּה עֻזְּךָ baculus roboris tui, putatur esse sceptrum, regium signum potentiae, de quo paulo post

dicemus. — מַטֶּה proprie est ramus, quem arbor vel vitis extendit, a נָטָה = نطا extendit, Ezech. 19, 11.; dein baculus, cui quis innitur, et etiam quem ditiores et proceres ornatus caussa gestabant, de quo plura dixi in Bibl. Arch. (Germ.) I. Th. II. B. §. 152. S. 141. conf. Num. 17, 2. 2, 5. 7. Jos. 20, 9. Jud. 6, 11. Tropice jam de fulcimento virium seu cibo, jam de tribu, jam de instrumento vel medio castigationis, et de ipsa quoque castigatione, Jes. 10, 8. 24. 27. 14, 5. Nah. 1, 3., atque etiam de hasta occurrit, quam Arabes quoque baculum appellant, Hab. 3, 14. 1 Sam. 4, 43. 45.; de sceptro autem nullibi legitur. — עֹז robur, potentia = عِزّ, et gloria = عِزّ, ab עָזַז Hebr. et Aram. = عَزّ robustus, potens, magnus fuit, Arab. etiam corroboravit, etc. — Baculus roboris, מַטֵּה עֹז, et מַטֵּה עֻזְּךָ, est ramus robustus, et מַטּוֹת עֹז sunt rami robusti vitis, ex quibus, uti apud Romanos, baculi dominantium et sceptra concinnari poterant, ut ex Ezech. 19, 11 — 14. liquet, quapropter dubitari potest, an haec phrasis sceptrum, aut potius solidum baculum castigationis significet, qua notione de regno Babylonio Jes. 14, 5 — 6. occurrit. Jeremias appellat quidem c. 48, 17. regnum Moab מַטֵּה עֹז מַקֵּל תִּפְאָרָה baculum roboris, baculum gloriae, i. e. baculum robustum et gloriosum; ambiguum tamen est, an designet sceptrum, an vero baculum validum castigationis, per quem sibi Moab gloriam quaerebat, uti תִּפְאָרָה usurpatur Ps. 89, 18.

78, 61. 1 Sam. 4, 21. Jes. 20, 5.; et id porro inde confirmari potest, quod etiam מַקֵּל nunquam alias de sceptro, sed de ramo Gen. 30, 37., de baculo pastorum Zach. 11; 7. 11 — 12., et de baculo peregrinantium Gen. 32, 10. 30, 37. Exod. 12, 11. 1 Sam. 17, 43. usurpetur. Notatu dignum est, Jeremiam 48, 25. idem, quod v. 17. dixerat, repetere verbis: קֶרֶן מוֹאָב וּזְרֹעוֹ נִשְׁבָּרָה cornu Moabitarum et brachium eorum frangetur. Quae hucusque dicta sunt, videri quidem possunt a longe petita, quaesita et nimis artificiosa, dicenda tamen erant ob insolitam phrasim מַטֵּה עֻזְּךָ יִשְׁלַח יי׳ מִצִּיּוֹן, nam sceptrum, symbolum potentiae regiae unquam missum fuisse in provincias, ut incolae se subjiciant, nullum ullibi deprehenditur vestigium; nec apparet, cur incolae misso sceptro se mox subjicerent. Accedit, in sequentibus commemmorari exercitum, qui tropice robustus baculus, quo contumaces castigentur et in obsequium reducantur, dici potest. Chaldaeus et Syrus videntur hoc ipsum iunuiſse, vertunt enim חוטרא דעושנא baculum vel fustem roboris vel fortitudinis, et sequentia reddunt: et dominabitur hostium tuorum. Quia autem etiam sceptrum est symbolum potestatis percutiendi et castigandi: parum interest, sive sceptrum potens, sive baculum robustum interpreteris; utroque enim modo respicitur ad exercitum, de quo in sequenti versu sermo est.

Ante רְדֵה בְּקֶרֶב אֹיְבֶיךָ dominare in medio hostium tuorum, intelligendum est: et dicet, vel dicens. רָדָה dominatus est, proprie cal-

cavit, Joel 4, 13., ut دَاسَ calcavit equus ungulis suis terram modo inter cursum et vehementem gradum medio; dein subegit, dominatus est, Syris autem ܪܕܐ est castigavit, erudivit, fluxit, ambulavit. — בְּקֶרֶב in medio, saepe idem est ac in, ut Gen. 48, 6. 16. et Exod. 8, 18. בְּקֶרֶב הָאָרֶץ in regione; Num. 8, 26. 14, 14.: בְּקֶרֶב הָעָם in populo, et ita vertit supra adductus Syrus; conf. Buxtorfii Concordant. sub h. v.; posset quidem nostro loco in medio aliquam vim addere orationi, longius tamen petitum est, quod quipiam conjiciunt, respici ad circumjacentes populos, Philistaeos, Edomitas, Moabitas, Ammonitas et alios. — Sensus est: superior eris hostibus tuis; idem quod prius dictum fuit: ponam hostes tuos scabellum pedum tuorum.

Ps. 110, 3.

עַמְּךָ נְדָבֹת populus tuus (sunt) spontaneae oblationes, vel ut pluralis magnitudinis, est prorsus spontanea oblatio, sponte se offert, conf. Deut. 12, 6. 17. Lev. 22, 18. 23; 38. Num. 29, 39. Ezr. 7, 16. Ps. 119, 108. 2 Paral. 31, 14. Amos 4, 5.; vel. si placet mente repetere vocem: עַמְּךָ עַם נְדָבֹת, populus tuus est populus oblationum spontanearum; sensus tamen est idem multitudinis, ut Ps. 68, 10. dicitur גֶּשֶׁם נְדָבוֹת de pluvia larga; a נָדַב = نَدَبَ incitavit, instigavit, impulit, Exod. 25, 2. 35, 21., et in V. se ipsum impulit, seu sponte se obtulit. —

בְּיוֹם חֵילֶךָ die exercitus tui. Phrasis quidem haec alibi non occurrit, aliae tamen similes usitatae sunt, ut יוֹם יי, et Ps. 137, 7. יוֹם יְרוּשָׁלָםִ; atque Arabes de die praelii, in quo magna et strenua ediderunt fortitudinis specimina, dicere solent: ille erat dies noster; sensus itaque est: die quo exercitus tuus strenue rem geret, seu die felicis praelii. — חַיִל robur, fortitudo, virtus seu probitas, divitiae, et etiam, ut Germ. Macht, exercitus, Exod. 14, 28. 1 Sam. 17, 20. 2 Sam. 24, 2. 4. 8, 9. 1 Reg. 18, 19. 20, 19. 2 Reg. 6, 15. 7, 6. 25, 5. et a. l. בְּהַדְרֵי קֹדֶשׁ in decoribus sanctitatis seu sacris, nempe vestitu splendido, quo diebus festis ad obeunda sacra ornabantur, uti in Bibl. Arch. II. Th. II. B. §. 238. S. 273. monui; verum tamen respici simul videtur ad arma tam defendentia quam aggredientia, quibus in praeliis utebantur quam poterant, splendidissimis; quare alludi videtur ad phrasim sanctificare bellum, Mich. 3, 5. Joel 4, 9. Jer. 6, 4. 27, 17.; nam bella, quia illo aevo simul pro religione pugnabatur, ut Deo sacra spectabantur, uti adhuc in oriente non solum a Mohammedanis, sed etiam a Christianis in montanis Libani, bella dicuntur sacra, sicut in Bibl. Arch. II. Th. II. B. §. 236. S. 268. exposui. הָדָר, ut Syr. הֶדְרָא, decus, ornatus, splendor, honor, ab הָדַר, ut Syr. in II., honoravit, decoravit, a quo longe abit هَدَرَ inpune effusus est sanguis, inpune permisit fundi sanguinem. — קֹדֶשׁ = قُدْس

et Aram. קוּדְשָׁא sanctitas; a קָדַשׁ ad usum sacrum separatus, seu sanctus, sacer fuit.

Ante מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ mente praemittenda est particula similitudinis, quae etiam Num. 9, 16. Thren. 4, 9. Jos. 9, 5. 2 Sam. 1, 21. Ps. 139, 15. Ezech. 4, 12. et a. l. omittitur; praeterea repetendum, uti Ps. 133, 3., טַל, ut integra sententia sit: כְּטַל מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ sicut ros ex utero aurorae est tibi ros juventutis tuae, i. e., belligerantes juvenes tibi sunt innumerabiles, ut guttae roris oriente aurora. Rorem esse in Palaestina copiosissimum, dictum est in Bibl. Arch. I. Th. I. B. §. 29. S. 151. — רֶחֶם Hebr. et Aram. = رَحِمٌ uterus, a רָחַם Hebr. et Chald. fere semper in II. = رَحِمَ misertus fuit, tenero animi affectu fuit, et رَحِمَتْ ex utero laboravit camela; رَحُمَ autem, ut Syr. רחם amavit, et, ut Syr. in II. misertus fuit. — מִשְׁחָר, pro quo alias dicitur שַׁחַר = سُحْرَةٌ et سَحَرٌ aurora, tempus antelucanum, a שָׁחַר Hebr. et Aram. niger fuit, sed سَحَرَ fascinavit, decepit, ut nos dicimus Schwarzkunst treiben. — טַל Hebr. et Aram. ros, طَلٌّ tenuis pluvia, a טָלַל Hebr. et Chald. texit; طَلَّ leviter humectavit terram ros. — יַלְדוּת juventus, duntaxat h. l. et Eccl. 11, 9. 10.

occurrit, a יָלַד Hebr. et Aram. = وَلَدَ genuit; ac יֶלֶד et וָלָד = وَلَدٌ, وَلَدٌ natus, puer, proles.

Alexandrinus hunc versum vertit: *μετα σϋ ἡ αρχη εν ἡμερα της δυναμεως σϋ εν ταις λαμπροτησι των ἁγιων σϋ, εκ γαστρος προ ἑωσφορϋ εγεννησα σε:* tecum principatus in die exercitus tui in splendoribus sanctorum tuorum (i. e. die praelii praevalebis cum militibus tuis splendide ornatis), ex utero ante luciferum te genui, (i. e. jam antea te regem constitui). Hinc apparet, interpretem נדבת derivasse a נָדִיב princeps, generosus; τῳ קֹדֶשׁ de suo addidisse suffixum secundae personae, et abstractum (sanctitas) intellexisse de concreto (sanctis), i. e. de militibus Hebraeis; מִשְׁחָר ἁπαξλ. enunciasse מִשַׁחַר; טַל pro arbitrio omisisse, quia difficultatem ipsi creabat; denique יַלְדֻתֶךָ enunciasse יְלִדְתִּיךָ, nisi legerit יְלִדְתִּיךָ, quod cum vocalibus consuetis יְלִדְתִּיךָ adhucdum reperitur in codd. 92, pr. in 4, nunc in 4., ac in edit. Norzii 1742, in Psalterio Basil. 1516., Coloniens. 1518, Thessalon. 1584., et Mantuan. 1777 et 1781.; et ita genui te vertit etiam Syrus, qui Alexandrinum consuluit, sed recepit ex Hebraeo טַל, quod tamen pessime cum Syriaco טַלְיָא, puer, confudit, et προ ἑωσφορϋ interpretatur de longo tempore vel aeternitate: מִן כַּרְבְּעָא מִן קֳדָם לָךְ טַלְיָא יֶלְדְתָךְ ex utero ab antiquo te puerum genui. Haec lectio ילדתיך, tot testimoniis suffulta, meretur attentionem; et si enunciemus cum Alexandrino עִמְּךָ, retento tamen נְדָבֹת cum con-

sueta notione oblationis spontaneae, sensus prodibit minime ineptus, dummodo liceat Caph similitudinis supplere, quod etiam in textu recepto supplendum esse vidimus: tecum spontaneae oblationes die exercitus tui in ornatu sacro (i. e. offeres relata victoria spontaneas oblationes); sicut tibi est ros ex utero aurorae, te genui (i. e. eo insensibili et imperceptibili modo, quo ros ex utero aurorae venit, te regem constitui). Oblationes spontaneae aptissime consentiunt sacerdotio, de quo v. 4. sermo est; et inauguratio regis, quae per genui te exprimitur, conf. Ps. 2, 7. 88, 27 — 28., respondet sessioni ad dexteram Dei v. 1.; atque ita omnia apte cohaerent, imo aptius, quam in textu recepto, sequenti sacerdotio congruunt, ut dubius haerere possit lector, quid praeferendum sit, nisi haec interpretatio visa fuerit quaesita et artificiosa, adeoque saltem suspecta; accedit, quod desideretur parallelismus synonymus, quem textus receptus sistit; quare non immerito rejicitur.

Ps. 110, 4.

נִשְׁבַּע יי׳ וְלֹא יִנָּחֵם juravit Jehova, et non poenitebit eum, i. e. non inmutabit, quod decrevit, non conditionalis sed absoluta et irrevocabilis est Dei sententia. Aeque gravis, aut gravior asseveratio, quam illa נְאֻם יי׳ v. 1.; non solum enim certitudinem, sed etiam magnitudinem ejus, quod secuturum est, promittit.

אַתָּה כֹהֵן לְעוֹלָם עַל דִּבְרָתִי מַלְכִּי־צֶדֶק tu es sacerdos in aeternum (perpetuus) more Mel-

chizedeki. Si hoc inmutabile Dei decretum nihil amplius, quam quod v. 1. per sessionem ad dexteram Dei enunciatum fuit, edicit, nempe regnum in Zion, urbe Melchizedeki: non apparet ratio, cur non dictum fuisset אַתָּה מֶלֶךְ עַל דִּבְרָתִי וגו׳. Praeterea sensus: tu consides in regia, in qua olim consedit Melchizedekus, frigidior et languidior est, inprimis cum idipsnm jam v. 1. multo sublimius per sessionem ad dexteram Dei expressum sit. Sacerdotium itaque sedenti ad dexteram Jehovae, diversum quidem a sacerdotio Aharonidarum, verum tamen sacerdotium et proprium tribuitur, quale Melchizedekus exercuit, qui Gen. 14, 18 — 20. non tantum benedixit Abrahamo, victori ex praelio reduci, i. e., solemniter Deo gratias egit pro relata de hostibus victoria, quod de gratulatione intelligi posset, sed etiam decimas, ex praeda Deo dicatas, recepit, et in suos usus convertit, quod proprie est sacerdotum, ut mediatorum homines inter et Deum, nec ulla ratione regi adscribi poterat, nisi Hasmonaeo, qui vero non more Melchizedeki, sed more Aharonis erat sacerdos; quare multum fallitur de Wette, si Johannem Hyrcanum cani suspicatur. Salomo quidem 1 Reg. 8, 14. 2 Paral. 6, 3. benedixit populo, id vero non est, nisi solenniter salutavit eum; et David 1 Paral. 29, 1 — 9. recepit dona sacra, a proceribus ad aedificium templi collata, sed nec ille proprie sacerdotem se gessit, nec hic collata dona sacra in propriam rem vertit, ut sibi attribuit Melchizedekus decimas praedae, quae olim Numini in persona sacerdotis consecrari solebant, ut in Bibl. Arch. III. Th.

§. 111. S. 417 — 419. testimoniis comprobavi, quibus addi potest Diodorus Sic. IV. 21. V. 9. 42. 64. XI. 62. 65. XIV. 93. XX. 14. et Livius V. 2. 21. — כֹּהֵן sacerdos, ut كاهن, quod autem significat quoque hariolum, quia sacerdotes idolorum hariolos agebant; كهن sacerdotio functus est, et praesagivit, cui adfine est جهن adpropinquavit; nam sacerdotes Exod. 19, 22. dicuntur נִגָּשִׁים אֶל יי adpropinquantes ad Jehovam. Itaque כֹּהֲנִים, sacerdotes, sunt illi, qui in liturgia publica, vicem populi gerentes, ad Deum accedunt, ut medii inter populum et Deum. Perraro vox כֹּהֵן usurpatur latius de adpropinquantibus ad regem ministris et negotia ejus administrantibus, ut كاهن non tantum est sacerdos sed etiam administrator negotii alieni; hujus tamen usus exempla duntaxat duo occurrunt 1 Reg. 4, 5. et 2 Sam. 8, 18. conf. 1 Paral. 8, 18.; sed haec notio ad locum nostrum, in quo rex hoc nomine compellatur, non facit. — לְעוֹלָם in aeternum; vox haec usu et etymologia significat proprie longum tempus, quasi dicas signatum, ab علم signavit; vaga igitur est notio, quae, ubi de aeternitate usurpatur, per subjectum, substratam materiam et adjuncta alia definitur, quorum hoc loco nullum aliud adest, nisi praecedens jusjurandum irrevocabile, seu absolutum Dei decretum, ex quo patet, עוֹלָם gerere notionem aeternitatis, et opponi temporali sacerdotio Aharonitico.

עַל דִּבְרָתִי, *ἀπαξλεγ.*; forma absoluta דִּבְרָה Eccl. 3, 18. 7, 14. 8, 2. significat causam, עַל דִּבְרָה propter, quod contextui et materiae nostro loco substratae non congruit; quod autem Job. 5, 8. occurrit דִּבְרָתִי, non paragogicum sed suffixum habet Jod, et significat eloquium meum vel caussam meam, quod nostro loco repugnat, aut saltem inconcinnum est; non restat igitur nisi ut דִּבְרָה sit idem ac דָּבָר Deut. 15, 1. 19, 4. 1 Reg. 9, 15., nempe modus, ratio, norma, quasi dicas ductus; nam Verbum דבר Syris est duxit; ita Paulus Hebr. 7, 15. *κατα την ὁμοιοτητα*, et Syrus בְּדמוּתָה; vel successio; دبر enim est a parte postica fuit, quod est sequentis et succedentis; ita fere Alexandrinus *κατα ταξιν*. Quidquid horum sumere placuerit, sensus idem est. Longius petitum est, quod contendit J. D. Michaelis in Colleg. Crit., ut דִּבְרָה sit idem ac דְּבִיר, locus interior sacri tabernaculi, seu sanctissimum, quo faciem convertebant orantes, ut sensus esset; supra Sanctuarium Melchizedeki, i. e. caelum.

Ps. 110, 5.

אֲדֹנָי עַל יְמִינְךָ Dominus ad dexteram tuam. Notum est, אֲדֹנָי esse pluralem magnitudinis, et constanter de Deo, nec unquam de homine dici. Rosenmüllerus quidem in Schol. in Ps. T. III. p. 2448. contendit, hanc vocis formam etiam de hominibus usurpari, et provocat ad Gen. 49, (lege 39.) 20. 42, 30. 32.; verum in his locis nequaquam אֲדֹנָי legitur, sed אֲדֹנֵי יוֹסֵף, et אֲדֹנֵי הָאָרֶץ, dominus

Josephi, et dominus regionis, atque hae et similes formae de hominibus occurrunt etiam Exod. 21, 4 — 8. Deut. 23, 16. Jos. 19, 14. 1 Reg. 16, 24. 22, 16. 2 Paral. 18, 16. et a. l.; de his autem nulla est quaestio, sed de forma אֲדֹנָי quaeritur exemplum de homine usurpatum. Nec Ps. 45, 7. ubi rex salutatur אֱלֹהִים, comparari potest, quia haec honoris compellatio usu loquendi etiam inferioribus magistratibus et judicibus tribuitur Exod. 21, 6. 18, 15. 22, 7 — 8. 27, 15. Lev. 24, 15. Deut. 15, 7. 19, 17. Ps. 82, 1 — 6., et ex etymologia non amplius dicit quam venerandum aut admirandum; nam أَلَّهَ est coluit, adoravit, honor, qui omnibus magnatibus exhiberi solebat, et أَلِهَ obstupuit, attonitus fuit, terrorem concepit.

Recte observavit Schnurrerus, Psalten hoc versu alloqui Jehovam, ut אֲדֹנָי עַל יְמִינְךָ sit ille ipse, qui v. 1. ad dexteram Jehovae sedere jussus fuit; si enim hic אֲדֹנָי ad dexteram, esset Jehova, qui Dominum Psaltis v. 1. ad dexteram suam sedere jussit; hic idem Dominus Jehova, qui v. 1. ad sinistram fuit, hic esset ad dexteram, adeoque ad sinistram et dexteram simul, quod repugnat. Si dixeris, esse meras imagines, sedere ad dexteram pro esse participem gubernationis divinae, et esse ad dexteram pro adsistere, adjuvare coll. Ps. 16, 8. 109, 31.: nihil proficies; nam nulli persuadebis, imagines sibi repugnantes et sese mutuo delentes in una orationis serie jungi ab ullo scriptore, nisi ab eo, qui ludere

velit, quod a gravissimo Psalmi argumento et stilo abhorret. Nec effugies, si dicas, hic inchoari novam scenam, in qua ille, ad dexteram Jehovae sedere jussus, comparet in acie, et Jehovam ad dexteram suam, i. e., sibi adsistentem et auxiliantem habet; nam non solum redit mox dicta replicatio, sed etiam illud, quod hic אֲדֹנָי ad dexteram, v. 7. de torrente in via bibit, quod Jehovae neque in sublimiori poësi tribui potest, quippe imago est pinguior, cui similis nullibi reperitur. Cur autem Masorethae non, ut v. 1., subjecerunt vocales אֲדֹנִי? — Fortasse, quia in aliis codicibus invenerunt יְהוָה scriptum? quod adhucdum in 17 codd. Kennicottianis et pluribus de Rossianis legitur. — Id de antiquis illis Masoretharum codicibus, argumentis idoneis comprobari nequit, quia interpretes antiqui utramque hanc vocem per idem vocabulum **Dominus** reddiderunt, ideoque pro neutra lectione testimonium dicunt. — Vel quia in suis codicibus antiquissimum aliquod signum enunciationis אֲדֹנָי habebant? — Neque id ullo argumento evinci potest, quamquam certum est, nullum adfuisse signum jubens legi אֲדֹנִי, quia nullus veterum vertit **Dominus meus**; arbitrio tamen Masoretharum relictum erat, haec puncta adjicere, quod ne facerent, qua ratione moti fuerunt? Fortasse opinabantur, hunc אֲדֹנָי esse ipsum Jehovam, qui v. 1. jussit regem sedere ad dexteram, quin adverterent pugnam, quae inde oritur? — Id componere nulla ratione potuissent cum v. 7., ubi hic ipse, אֲדֹנָי, in persecutione hostium defatigatus, se reficit ex primo torrente, qui occur-

rit in via, quod, ut jam diximus, neque in imagine tribuere Jebovae, consentaneum est. Verum opus non est, rationem horum punctorum tam longe lateque undequaque conquirere; nam versus sequens, qui hunc Dominum sistit judicem inter gentes bello decertantes, eam ultro offert, ut mox videbimus. An autem propterea etiam v. 1. ennnciandum sit לַאדֹנָי, judicio lectorum relinquimus; veterum profecto nullus vertit Domino, vel ad Dominum, ut merum mendum sit, si cod. Cassel., et prima manu de Rossianus 379. לַאדֹנָי, et de Rossianus 36. prim. m. probabiliter לַיהוָה habet.

מָחַץ בְּיוֹם אַפּוֹ מְלָכִים concutiet die irae suae reges. — מָחַץ = مَحَصَ jactavit pedem animal jugulatum, concussit pede terram, et hinc latius concussit, conquassavit. Aoristum primum de Futuro usurpatum esse, series orationis monet. Dies irae est dies praelii, quo agitur, quod irati agere solent. Sistitur scilicet hic rex et אֲדֹנָי in acie dimicans, et commissa sibi gubernatione divina strages edens.

Ps. 110, 6.

יָדִין בַּגּוֹיִם judex erit inter gentes, lites nempe gentium belligerantium dirimet, aut si mavis: puniet, castigabit gentes cladibus. — דִּין Hebr. et Aram. = دَانَ med. Je judicare, justitiam administrare, punire. — גּוֹי gens, frequentissima Hebraeis vox, Aramaeis et Arabibus deest. Judicare inter gentes, seu justitiam administrare gentibus, lites

belligerantium per victorias et clades dirimere, gentes punire, in Bibliis constanter tribuitur Jehovae, et jam דִּין, jam שָׁפַט de hoc judicio usurpatur, Ps. 7, 9. 9, 5 — 9. 16 — 17. 20 — 21. 61, 8. 75, 3. 76, 9 — 11. 96, 10 — 13. 98, 9. Jes. 66, 15 — 17. Joel 4, 2. 9. 14. et a. l., in quibus quidem דִּין et שָׁפַט cum Accusativo, nostro vero loco cum Beth praefixo construitur, verum haec differentia, judicem esse inter gentes, et judicare gentes, eo certe non pertinet, ut hoc soli Deo, illud autem etiam homini tribuatur, quod aliunde nullo exemplo comprobari potest, inprimis cum sententia, judicium inter gentes belligerantes esse opus divinae providentiae, ipsi quoque etymologiae vocum orientalium, uti in Bibl. Arch. II. Th. II. B. §. 237. S. 472 — 473. multis exemplis docui, inhaereat, et aliunde constet, etymologiam notionum cujusvis linguae invictum esse argumentum sententiae hujus populi. Id penitus perspexerunt illi eruditi Judaei, in Bibliis versatissimi, qui puncta vocalia adjecerunt, et ideo in praecedenti versu literis ארני puncta אֲדֹנָי tribuerunt, quia nempe hic Dominus, judicando inter gentes, opus divinum exercet. Idipsum etiam interpretes antiqui minime ignorarunt, ut ex eo apparet, quod nullus verterit Dominus meus, ut v. 1. et 7. suadere potuisset. — Ast quid? Deumne v. 5 et 6. sistit Psaltes regem hominem? — De hoc demum absoluta interpretatione videbimus.

מָלֵא גְוִיּוֹת; si מָלֵא, ut alias plerumque, est intransitivum, supplenda est ellipsis הַכֹּל omne, seu omnia plena sunt cadaveribus; si autem

ut Exod. 40, 24. 35., est transitivum, vertemus: implebit cadavera, quasi numerum eorum faciet justum. Discrimen inter utramque versionem est perexiguum, et utriusque sensus est idem. Ceterum etiam Arabibus مَلَأَ, et Aramaeis מְלָא est plenus fuit, et implevit. — גְּוִיָּה corpus, Neh. 9, 37. Dan. 10, 6. Gen. 47, 18, et cadaver Jud. 14, 8—9. 1 Sam. 31, 10—12. Nahum 3, 3. Syri et Arabes vocem hac notione non habent; nam Syr. גַּוָּא significat interiora, et viscera, et جَوٌ est foetens aqua, جَوِيَ male habuit animus, abhorruitque, aestuavit amore vel moerore.

מָחַץ רֹאשׁ עַל אֶרֶץ רַבָּה conquassabit capita super terra ampla. — רֹאשׁ Hebr. et Aram. = رَأْس caput, collective usurpatum esse, quilibet facile videt; qui interpretantur de praefectis populi, non observant nexum cum עַל et מָחַץ. Falluntur quoque, qui אֶרֶץ רַבָּה existimant indicare regionem Rabbath Ammon, Deut. 3, 11., quae quidem et sine adjecto dicitur רַבָּה 2 Sam. 11, 12. 27. 29. 1 Paral. 20, 1., ubi series orationis docet, non esse aliam, quam illam Ammonitarum metropolim; verum phrasis אֶרֶץ רַבָּה Hebraeis hoc sensu prorsus insolita est, qui nunquam dicunt אֶרֶץ עֶקְרוֹן, אֶרֶץ יְרוּשָׁלַםִ aut אֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים sed אֶרֶץ בִּנְיָמִין et. Ceterum Aoristum primum מָחַץ, uti in membro praecedenti מָלֵא, venire pro Futuro, ostendit substrata materia et series orationis, in qua v. 5. legitur יָדִין et v. 7. יִשְׁתֶּה et יָרִים.

Ps. 110, 7.

מִנַּחַל בַּדֶּרֶךְ יִשְׁתֶּה de torrente in via bibet. Hostes persequendo fatigatus, sitim ex primo, qui occurrit, torrente restinguet.. Quod J. D. Michaelis in colleg. crit. suspicatus est, torrentem sanguinis hostilis intelligendum esse, non solum a longe petitum et quaesitum, sed etiam a moribus Hebraeorum alienum est, qui a potatione sanguinis quam maxime abherrebant, ut eam non facile aut certo rarissime tropice usurparint, sed potius dixerint, sanguinem hostilem pedibus calcare, Ps. 58, 11. 68, 24. — נַחַל Hebr. et Syr. vallis, et etiam torrens; Arabibus verbum hac notione deest. — דֶּרֶךְ via, דָּרַךְ Hebr. et Aram. calcavit; دَرَكَ persecutus, assecutus est. — שָׁתָה, Syr. אֵשְׁתִּי, bibit, Arabibus deest.

עַל כֵּן יָרִים רֹאשׁ tum rursus elevabit caput; persecutione hostium delassatus et sitibundus, potu ex torrente recreatus, rursus erecto capite fugientibus instabit. עַל כֵּן consecutionem designat, ideo, propterea, tum. — רוּם altum esse; in Syr. superest forma III. אָרִים sustulit, extulit, abstulit; abhinc longius distat رَامَ med. Vau quaesivit, expetivit, amavit, et med. Je excessit, discessit, ac med. Aleph رَأَمَ amavit, addictus fuit.

Versio Psalmi 110.

Effatum Jehovae ad Dominum meum: sede ad 1
dexteram meam,

Donec ponam hostes tuos scabellum
pedum tuorum.
Baculum tuum robustum mittet Jehova ex Zion 2
(dicens):
Dominare in medio hostium tuorum.
Populus tuus se sponte offeret die praelii in ve- 3
stitu sacro,
Sicut ros ex utero aurorae erit tibi juventus tua.
Juravit Jehova, nec poenitebit eum: 4
Tu es sacerdos in aeternum
More Melchizedeki.
Dominus ad dexteram tuam 5
Concutiet die irae suae reges;
Judex erit inter gentes, omnia implebit cadaveribus, 6
Conquassabit capita super terra ampla.
De torrente in via bibet, 7
Tum rursus elevabit caput.

Explicatio Psalmi 110.

Si Psaltes, ut manifestum est, canit hominem v. 7., regem in Zion v. 2., et sacerdotem more Melchizedeki: qua ratione ei tribuere potuit praedicata divina, compellationem nempe אֲדֹנִי, et judicium inter gentes belligerantes, et quidem formulis loquendi, quae revelationem et irrevocabile decretum divinum indicant? Urgeri quoque potest aeternitas sacerdotii et sessio ad dexteram Dei, quae alias nulli regi Hebraeorum tribuitur. — De Wette, qui id omne ex adulatione aulica repetit, non expendit, quid dicat; nam adulatio tam palpabilis et tam crassa, impia et blasphema cuivis regi, qui nondum omnem religionem exue-

rat, fuisset intolerabilis, neque ullus poëta sperare potuit, his se gratiam apud regem initurum, imo absterritus fuisset imminente sibi invidia et imprecatione omnium Hebraeorum, qui nondum omni religioni valedixerant. Relatio regum vivorum in numerum deorum, quia et hi, si non omnes, saltem plerique, olim erant homines et reges, longe erat tolerabilior, quae nihilominus non est tantae antiquitatis; nullum enim reperitur vestigium, reges Zidonis, Tyri, Philistaeorum, Edomitarum, Moabitarum, Ammonitarum, et Syrorum apotheosi honoratos fuisse; Syri, teste Josepho Archaeol. IX. 4, 5. suos reges Hadad et Hazael nonnisi mortuos diis adscripserunt, atque neque hoc Hebraei, etsi ad cultum inanium deorum pronissimi, unquam imitati sunt aut imitari tentarunt.

Idem fere reponemus, si dicatur, haec attributa, esse hyperbolica; quid enim? de re profana aut nón proprie divina, in qua insolentior hyperbole locum habet, agitur? ullusne poëta Hebraeus hyperbolas, quae hominem faciunt Deum, usurpare ausus est? aut ullus Hebraeus lector eas probasset? an non omnes carmen, horribile auribus, execrati fuissent et exitio dedissent? quis unquam scriptor Hebraeus sacris et sanctis formulis: effatum Jehovae, juravit Jehova et non poenitebit eum, ad ornandas enormes hyperbolas abusus est? Vani sunt hi praetextus, nec ulla ratione firmari possunt, sed e contrario omnibus adjunctis repugnant.

Psaltes itaque sine adulatione et sine hyperbole, sed sincere et serio, humana et divina tribuit regi suo,

ad dexteram Dei sedenti; quare nec Davidem, nec Salomonem, nec Hizkiam, neque ullum alium canit regem hujus generis; nullum enim eorum, si omnia reliqua latius et benignius interpretemur, dicere potuit אֲדֹנָי et judicem inter gentes belligerantes. Si אֲדֹנָי mutaveris in אֲדֹנִי, non tantum sine ulla auctoritate, sed etiam contra auctoritatem omnium codicum et veterum interpretum, atque id est, ex conjectura dogmatica textum mutas, crimen criticae execrandum! Si judicium inter gentes belligerantes, de sola poenae divinitus decretae executione per hunc regem, interpreteris, invito constante usu loquendi interpretaris, crimen hermeneuticae execrandum! Fatendum itaque erit, cani illum regem, qui olim Davidi 2 Sam. 7, 16. 1 Paral. 17, 14. coll. Ps. 89, 36 — 38., et demum, cadente familia Davidis, Hebraeis Jer. 33, 20 — 21. et Ezech. 37, 25., in perpetuum regnaturus, promissus fuit, cui aeternitas sacerdotii ab auctore Psalmi additur, et eidem a Malachia quoque divinam majestatem seu dignitatem Domini templi et legati, qui olim cum Hebraeis foedus percussit, tribui vidimus.

Omnibus igitur Psalmi sententiis diu multumque pensitatis, alium cernere nequeo regem, nisi qualis in Evangelio sistitur Jesus, cum Patre gubernans mundum, qui itaque cum eo est et אֲדֹנָי et judex gentium belligerantium; visibilis rex in Zion et bellidux, qualis rex nostri Psalmi describitur, non fuit quidem Jesus; verum si hic visibilis rex et bellidux Psalmi confertur cum compellatione אֲדֹנָי et judicis gentium, dicendum erit, vel hanc compellationem esse enormem,

abjectam et blasphemam adulationem et hyperbolen, quam utramque repugnare adjunctis vatis, regum et universae gentis Hebraicae, ostendimus; vel bellum hoc et regnum in Zion esse imagines, quibus gubernatio ecclesiae et amolitio impedimentorum, quae regno Jesu seu ecclesiae objecta fuerunt, adumbratur.

Audax, non diffiteor, est imago, ut bellum, in quo copiosi exercitus ad praelium parati consistunt, reges caeduntur, capita conquassantur in terra ampla, omnia complentur cadaveribus, et rex bellidux se reficit ex primo, in via occurrente, rivo et rursus erecto capite persequitur fugientes hostes, non sit nisi victoria de impedimentis objiciendis, seu de adversariis, qui se dilatationi regni coelestis Jesu opponunt; verum non audacior, quam elevatio montis Moriae super verticem aliorum montium Mich. 4, 1. Jes. 2, 2.; non audacior, quam complanatio montis praegrandis Zach. 4, 7., et scissio montis Olivarum sub pedibus Jehovae desuper insistentis, Zach. 14, 4 — 5., atque transitus per sinum Arabicum et exsiccatio Jordanis Zach. 10, 11.; non audacior quam amica ferarum venenatarum et belluarum immanium inter se et cum mansuetis pecudibus, imo et cum infantibus cohabitatio Jes. 11, 7 — 9. 65, 25.; et stillicidium musti et lactis ex montibus et collibus Joel 4, 18.; non audacior, quam Jehova murus igneus circum Jerosolyma Zach. 2, 9.; et dies sine luce qui nec dies est nec nox, vespere demum illuminandus Zach. 14, 6 — 7.; non audacior, quam obscuratio et exstinctio omnium luminum coelestium et ipsius quoque solis et lunae Ezech. 32, 7 — 8. Joel 3, 4. 4, 11

— 16. Jes. 34, 4., et e contrario septuplex lumen solis, et sol nunquam occidens Jes. 30, 26 — 33. 60, 19 — 20.; non audacior, quam resurrectio mortuorum Ezech. 37, 1 — 14.; quam confluxus magnorum fluviorum Jerosolymis Jes. 33, 21., fons Jerosolymis in templo oriturus Joel 4, 18., cujus aqua aucta in majorem fluvium, in ripis exornatum arboribus, in mare mortuum defluet, et aquam ejus salsam reddet dulcem Ezech. 47, 1 — 12., imo ita augebitur, ut fluvius, in duo brachia divisus, altero in mare mortuum, et altero in mare mediterraneum decursurus sit Zach. 14, 8.; aut si imagines mavis bellis propriores: non audacior, quam Juda arcus, et Ephraim sagitta arcui illi inposita, et in hostes ejaculanda Zach. 9, 13., quae imago etiam Arabibus placuit, Abulfeda Annal. Mosl. T. III. p. 474. et Not. Reiske p. 476.; non audacior quam Jesus heros bellator et victor Apoc. 17, 14. 19, 11 — 19., quibuscum conf. loca Evangeliorum, in quibus Jesus sibi tribuit eversionem Jerosolymorum; non audacior quam Jehova bellidux Jes. 13, 3. 42, 13. Ps. 24, 8. Joel 4, 9 — 17. Jer. 6, 4. 51, 28 — 30. Ezech. 38, 20 — 23. 39, 3 — 10. 17 — 20.; imo etiam in oratione prosa non raro Deus dicitur pugnasse pro Israelitis. Conf. etiam Ps. 18. 8 — 16. 2 Sam. 22, 8 — 16. Ps. 50, 1 — 6. 69, 2 — 5. 16. Jer. 51, 3 seqq. 24, 1. 18 — 20. et Jer. 35, 1 — 10. Matth. 24, 27 — 31. 19, 2 — 28. Luc. 22, 29 — 30. et 1, 32. Possent plura alia hujus generis cumulari, nisi haec modo adducta exempla audaciorum imaginum, abunde sufficerent.

Nullum quidem apertum occurrit indicium, bellum hoc et fugam hostium non esse nisi imaginem, qua superanda significantur impedimenta, quae regno Messiae objicientur; quare verisimilius videri possit, reapse de bello esse sermonem, inprimis cum rex sistatur in campo aciei hostes caedens, et demum a persecutione fugientium fessus et languens, se de primo occurrente rivo refocillaturus, et porro erecto rursus capite fugientes persecuturus. Ast nutum tamen aliquem, haec non esse nisi colores imaginis, praebere possit sessio ad dexteram Dei; nam si haec est tropica, cur non etiam bellum tropice intelligatur? Dein notissimum est, in adumbrationibus imaginum haudquaquam omnia ad trutinam esse revocanda, ut in imaginibus supra allegatis vidimus. Denique meminisse oportet, plura esse vera, quae non sunt verisimilia; et falsa, quae sunt verisimilia, quod inprimis perpendendum est, ubi subest, ut Psaltes testatur, revelatio, cujus sensus verus ab eventu pendet, ut de verisimilitudine sensus certa a priori sententia ferri nequeat. Ut id exemplo illustrem, sumo Jes. 11, 6—9., ubi Kimchius in Comm. refert, alios putare naturam animalium carnivororum, rapacium et venenatorum immutatum iri; alios autem contendere, haec esse allegorica, ut lupus, pardus, ursus et leo sint imago inproborum opprimentium debiles, qui imagine onagri, vituli et haedi sistantur, quia dictum est: in diebus Messiae pax erit, neque mala inferet alter alteri; et demum pergit: „verum haec interpretatio non est „recta; dicitur enim inferius (Jes. 11, 9.): non

„male facient, neque laedent in universo „monte sancto meo. In diebus vero Messiae erit pax in universo mundo, ut scriptum „est .... Jes. 2, 3 — 4. Zach. 9, 10. Rectum igitur „est, naturam ferarum non inmutatum iri, sed ra„pient et comedent carnem .... verum confidere fecit „Israelitas, quod ferae noxiae non nocebunt in „universa regione Israelitarum, id„que quia ait inferius (Jes. 11, 9.): non male fa„cient, neque laedent in universo „monte sancto meo; ratio vero est, quia ple„na erit regio scientia Domini, Jes. 11, 9." Ex his patet, adumbrationes Prophetarum non raro adeo esse copiosas et vivacibus coloribus expictas, ut aliis proprie intelligendae, aliis imagines esse videantur, et quis litem dirimat, si ab eventu abstrahimus, et sola verisimilitudine niti volumus? — Ceterum dabo liberaliter, si postulatur, vatem sacrum de bello proprie sumto cogitasse, sed hic sensus erit subjectivus, cui respondet tropicus objectivus a Deo intentus, et per eventum comprobatus, cujus ille subjectivus erat symbolum vel imago.

„Ast Prophetae Messiam perpetuo sistunt bella„torem et victorem, seu, ut dici solet, Judaicum, ut „repugnet analogiae vaticiniorum, omnes has adum„brationes convertere in imagines." — Qui id opponunt, non videntur haec vaticinia diligenter excussisse; difficile fuerit, alium praeter hunc Psalmum, reperire locum, in quo Messias adumbretur bellator. In vaticiniis Jer. 23, 5 — 8. 30, 9 — 11. 33, 14 — 16.

Ezech. 34, 23 — 31. 37, 24 — 28. Jes. 11, 1 — 10. Amos 9, 11 — 12. altum est de bellis silentium. E contrario Messias adeo pacificus describitur Mich. 4, 3. Jes. 2, 4. Zach. 9, 10., ut arma ferrea in instrumenta agriculturae conflanda fore dicantur. Anne unico Psalmo 110., aetate bellicosa exarato, innixi, Messiam faciemus debellatorem gentium, et his demum devictis dicemus fore pacificum? An non, si ita esset, bella Messiae saepius laudata fuissent? An non saltem unus alterve Propheta diserte dixisset, quod adeo propinquum erat, Messiam bellatorem fore, et devictis demum gentibus pacificum? De loco Jes. 9, 1 — 6. alibi videbimus. — Imo e contrario Malachias, ut vidimus, diserte edicit, Messiam nequaquam gentes, sed Judaeos tantum non omnimoda internecione deleturum, et Daniel, ut mox ostendemus, praedicit, eum per populum venturum Jerosolyma esse eversurum, quod a debellatione gentium quam longissime abest. Si itaque omnia reliqua vaticinia Messiam promittunt pacificum, et solus Psalmus 110 de bellis contra gentes loquitur: utique non illa, quae aliunde tropice intelligi nequeunt, ex hoc Psalmo, sed hunc ex illis recte interpretamur, et bellum dicimus esse imaginem superandorum impedimentorum, quae regno Messiae objicientur. Atque haec interpretatio etiam Ps. 47, 9 — 10. 68, 30. 32 — 34. 86, 9. 87, 3 — 6. 96, 3. 7. 10. 97, 1. 102, 17. 23. in quibus conversio gentium ad verum Deum, sine omni bellorum mentione, memoratur, confirmari potest, quia ex aliis vaticiniis constat, hanc gentium

resipiscentiam adventui Messiae junctam fore, Mich. 4, 2. Jes. 2, 3. 52, 15. 53, 11 — 12. 66, 18 — 22. et a. l.

Aetas Ps. 110.

Cujus aetatis opus sit noster Psalmus, satis notabilitur ostendit sublimitas stili et insolentia dictiorum, quae eam temporis periodum prodit, qua et lingua et poësis Hebraea laetissime florebat; quare post tempora Jesaiae, Michae, Habakuki et Nahumi scriptus esse nequit. Mirum profecto est, de Wette potuisse induci in suspicionem, Psalmum esse ex aetate Johannis Hyrcani, qua lingua, jam dudum emortua, flores hujus generis ferre nullatenus potuit. — Si non Davidis, Davidi saltem coaevum esse opus, evincit argumentum, quod ultro et aperte prodit, novam et recentem fuisse tum temporis non tantum sedem regis Hebraeorum in arce Zion, in qua celeberrimus olim consedit Melchizedek rex, et sacerdos Altissimi, 2 Sam. 5, 6 — 9. 6, 1 — 19. 1 Paral. 13, 1 — 14. 15, 1 — 3. coll. Gen. 14, 18 — 20., sed etiam non antiquam sed novam fuisse promissionem de aeterno in familia Davidis throno, 2 Sam. 7, 4 — 16. 1 Paral. 17, 3 — 15.

Auctor Ps. 110.

Auctorem ex inscriptione non posse certo colligi, supra ostendimus; si autem argumentum Psalmi conferimus cum tenerrimis illis grati animi et tranquilli gaudii affectibus, quos David recepta illa perpetui throni promissione 2 Sam. 7, 18 — 29. 1 Paral. 17, 16 — 27. vix verbis eloqui potuit: apparet, Davidem spem de hac promissione amplissimam conce-

pisse, ut verisimillimum sit, plura et quaepiam etiam majora divinitus per Prophetam Nathanem edoctum fuisse, quae canere hoc carmine potuit, atque id videtur etiam inde firmari posse, quod sequenti aevo notissimum fuit, Davidi divinitus promissum fuisse regnum reapse aeternum, uti ex Ps. 89, 36 — 38. Jer. 33, 20. Ezech. 37, 25. liquet. Genus quidem dicendi est sublimius, quam illud, quo David plerumque utitur, ast non prorsus absimile illi multo subliniori, quo in Ps. 18, 29, 60 et 65, usus est, in quibus adeo effertur, ut et de Wette, qui alias de omnibus dubitat, id negare non potuerit.

Quod si a Davide discesseris, neque tamen in medio relinquendum putes, quis sit carminis auctor: vix est, quem cogites nisi Nathanem, qui illam perpetui throni promissionem Davidi attulit, et plura divinitus edoctus videri potest, quae hoc Psalmo consignaverit, et quia hic expressa sunt, potuerunt 2 Sam. 7, 4 — 14. 1 Paral. 17, 3 — 13. omitti. Stilum quidem hujus Prophetae, cujus alia scripta non sunt ad nos transmissa, ignoramus; verum si ex locis mox adductis, et ex 2 Sam. 12, 1 — 14. conjecturam capere licet, hanc Psalmi sublimitatem a genio ejus minime esse alienam deprehendemus.

Usus Ps. 110. in N. F.

Si haec, quae hucusque dicta sunt, non tantum eventui, sed etiam contextui et expressionibus hujus Psalmi, atque vaticinio Malachiae adcurate respondent: patescit, quaestionem, a Jesu Matth. 22, 41 — 46. Marc. 12, 35 — 37. Luc. 20, 42 — 44. Phari-

sacis propositam, duntaxat eatenus esse adcommodationem, quatenus auctorem ponit Davidem, uti communis illa aetate ferebat sententia eruditorum; sustineri itaque non potest, quod Paulusius contendit, Jesum scilicet juxta communem illius aetatis sententiam hoc Psalmo usum esse, et non aliud intendisse, quam ut ad silentium redigeret Pharisaeos, captiosis quaestionibus sibi molestos; fere dixerim, ipsum Paulusium quoque a Jesu ad silentium redigi, qui Matth. 26, 64. Marc. 14. 62. Luc. 22, 69.— 70. in judicio capitali Psalmum ad se transfert, quod judices in blasphemiam ipsi vertunt; et quum Jesus idipsum hoc loco jure jurando edicat, non relinquitur locus dubitandi, hoc Jesu effatum fuisse sincerum et serium, et nequaquam adcommodatum Psalmi usum, quod Apostoli et Evangelistae probe edocti erant; nam persaepe et constanter et unanimiter Psalmum proprie de Jesu exponunt, Marc. 16, 19. Act. 2, 33 — 34. 5, 31. Rom. 8, 34. 1 Cor. 15, 24 — 28. Eph. 1, 20 — 23. Col. 3, 1 — 2. Hebr. 1, 3. 13. 5, 6 — 7. 10. 7, 1 — 21. 8, 1 — 2. 10, 12 — 13. 12, 2. 1 Petr. 3, 22. conf. Luc. 1, 32.

Vaticinium Dan. 9.

Permultae sunt loci vexatissimi Dan. 9, 24 — 27. interpretationes non parum discrepantes, quas omnes Dr. Bertholdus in suo Daniel Germ. vers. 1806 — 1808. p. 541 — 626. magno studio recensuit, sed lectorem nequaquam reddidit certiorem quam fuerat. Omnes interpretationes superstructae sunt hypothesibus, quarum altera evertit alteram, nec ulla est, quae dictionibus et chronologiae nullam inferret vim, sed prin-

cipiis hermeneuticis constanter inhaereret, et chronologiae, ut omnes norunt, in multis incertae et dubiae, non nimium confideret. An felicior futurus sim, judicabunt lectores. De antiquioribus interpretationibus jam olim juvenis dubitare caepi scrupulum mihi movente quodam Judaeo non indocto; plures progressu temporis novae accesserunt dubitandi rationes, quas nulla recentior interpretatio sustulit. Nescio autem, qua ratione acciderit, ut demum me interpretationi Dathii, non quidem prorsus consentientem, proximum tamen deprehenderem, cum forte versionem ipsius Latinam evolvebam. De chronologia, quae incerta est, ideoque etiam de computu annorum minus laboro, sed vaticinii sensum ex solis principiis exegeticis eruere studeo, quem si forte chronologiae non ubique a d a m u s s i m respondere comperiemus, ideo rejicere fas non erit, sed aliud respondendum veniet, quo difficultas tollatur, quin ad perditam sententiam recurram, Prophetas vaticinatos esse, quae demum minime contigerunt, aut libellum non esse Danielis, sed aetate Maccabaeorum de stragibus ab Antiocho Epiphane editis, ab ignoto auctore conscriptum, quod jam in Introductione in LL. V. F. P. II. §. 50 — 53. refutavi, nec recentior Bertholdus me movit, ut a sententia discederem.

Plerique, qui tractarunt hunc locum, attentionem omnem defixerunt in ultimos versus 24 — 27., et hinc vaticinii nexum cum oratione Danielis v. 4 — 23., et cum occasione v. 1 — 3., quae et orationi et vaticinio locum fecit, neglexerunt, quod grande in Her-

mcneuticam peccatum non potuit interpretationi non quam plurimum officere. Quare totum caput 9, quantum opus est, explicabimus, ultimos autem versus 24 — 27. diligentius pertractabimus.

Vaticinium est ex anno primo Darii filii Achaschveroschi ex prosapia Medorum, postquam regno Chaldaeorum potitus fuit. Hic est Graecorum Kyaxeres II. filius Astyagis, qui fuit avus maternus Cyri. Neminem turbet diversitas nominum Biblicorum et Graecorum, quae non sunt nisi diversae compellationes honoris, uti in Bibl. Arch. II. Th. I. B. §. 171. p. 243. docui, et ipsum quoque nomen Achaschverosch Einleit. in Göttl. Schr. des A.B. Th. II. §. 66. S. 299. exposui; id solum addo, nomen Kyaxares detortum esse ex Zendico Keûosch Vista speche, quod compositum videtur ex Ke (rex), vispe (omnis) et aspe (equus) et significat, regem omnium equorum, unde et Ghustasp factum, quod Graeci detorserunt in Hystaspes. — Hic Darius, seu Kyaxares II. regnavit ab anno ante Christ. 569 usque ad annum 537, nempe 32 annos; annus autem, qui a Daniele commemoratur, est primus ab occupato regno Chaldaeorum, primus nempe magnae monarchiae Medo-Persicae, cum qua nova aera inchoabat. Praecedentibus 21 annis Darius bellum, duce Cyro genero suo, gerebat cum Chaldaeis, quo finito, et monarchia Chaldaeorum eversa, captivi Hebraei reditum sperabant in patriam, prout Jeremias 25, 11 — 12. 29, 10. praedixerat. Cum autem Darius, fortasse a Daniele hac de re monitus, a dimissione Hebraeorum alienus comperiretur, Daniel annos 70, a Jere-

mia captivitati praefixos, ex historia rerum gestarum computabat, et deprehendit, hos annos ad finem vergere, qnippe ab anno ante Christum 606, quo captivitas coepit, usque ad annum 539 vel 538 elapsi erant 67 vel 68 anni, ut non restarent nisi tres vel duo anni. Conf. meam Bibl. Arch. II. Th. I. B. §. 48. S. 219 — 220. et §. 51. S. 231 — 232. Quod cum comperisset Daniel, neque ullum vel eminus cerneret indicium secuturae liberationis; ad preces conversus Deum exorabat, ne captivitas ultra illos 70 annos protraheretur. Has preces consecuta est revelatio divina.

Dan. 9, 1 — 2.

„Anno primo Darii, filii Achaschveroschi, 1
„ex prosapia Medorum, postquam potitus fuit
„regni Chaldaeorum; anno (inquam) primo regni 2

V. 1. Ex prosapia etc. proprie de semine Medorum, מִזֶּרַע מָדָי. — Postquam potitus etc., proprie: postquam rex factus fuit super etc.; אֲשֶׁר etiam postquam valere, comprobant loca plura Gen. 30, 18. Lev. 6, 3. Num. 32, 23. Ps. 71, 20. 2 Paral. 8, 11. 35, 20. Ezech. 39, 39.

V. 2. Regni ejus, לְמָלְכוֹ proprie: regem esse, vel fieri eum, i. e., quo rex factus est. — Exquisivi, בִּינֹתִי, a בִּין intelligentem esse, attentum esse, intelligere, observare, expendere, exquirere; Syris duntaxat pass. אתבין intellexit, consideravit, بان med. Je distitit, segregata, distincta fuit res,

„ejus ego Daniel exquisivi in libris numerum „annorum, qui a Jehova revelatus fuit Jeremiae Prophetae, vastatis Jerosolymis implen-

---

manifestus, et perspicuus fuit, patuit res. — Revelatus fuit, אֲשֶׁר הָיָה דְבַר יי de quibus factus est sermo Jehovae, formula revelationes exprimendi, Jer. 25, 11 — 12. et 29, 10. — Inplendos, לְמַלְּאוֹת ad inplendum nempe tempus annorum 70, ita Verbum usurpatur quoque Exod. 23, 26. — Vastatis, לְחָרְבוֹת vastitatibus, pluralis magnitudinis, a חָרְבָּה vastitas, desertum, חָרֵב = خَرِبَ desertus, incultus, vastatus fuit locus, et etiam, ut Syriacum, vastavit, diversum a حَرَبَ acuit gladium, gessit bellum. Recentissimi interpretes haec verba ita premunt, ut asserant, numerum 70 annorum non fuisse impletum, quia Jerusalem tantum 52 annos vastata mansit, ac si Prophetae non more communi locuti essent, aut ubique sermonem ad leges logicae exigere debuissent, et nunquam de rebus etiam notissimis crassius loqui potuissent. Atque Jeremias nequidem disertis verbis dicit, Jerosolyma 70 annos fore vastata; nam c. 25, 11 — 12. meminit quidem vastationis: וְהָיְתָה כָּל הָאָרֶץ לְחָרְבָּה לְשַׁמָּה, deserta, vastata erit tota regio; annos autem 70 non definit per vastationem, sed per subjectionem sub jugo monar-

„dos esse septuaginta annos. Quare converti 3
„faciem meam ad Dominum Deum, ut orarem
„precibus, supplicationibus, in jejunio, cilicio et

---

chiae Babylonicae: וְעָבְדוּ הַגּוֹיִם הָאֵלֶּה אֶת מֶלֶךְ בָּבֶל שִׁבְעִים שָׁנָה: וְהָיָה כִמְלֹאת שִׁבְעִים שָׁנָה אֶפְקֹד עַל וגו׳ et servient gentes hae regi Babylonis 70 annos. Impletis autem 70 annis animadvertam in etc. Et c. 29, 10. vastationis nequidem meminit, sed exsulibus, cum Jojachino seu Jechonia 599 ante Chr. deportatis, scribit duntaxat, super Babylonem 70 annos implendos esse, donec liberentur: כִּי לְפִי מְלֹאת לְבָבֶל שִׁבְעִים שָׁנָה אֶפְקֹד אֶתְכֶם impletis Babyloni 70 annis, benigne vos respiciam. Operae pretium erat, haec loca describere, quia adversarii illis nimium confidunt. Verum etsi anni aliquot deficerent vel abundarent, non esset tamen, unde gloriari possent adversarii, cum incertitudo chronologiae in vulgus nota sit, et praeterea etiam Propheta numero rotundo uti potuisset. Daniel autem opus non habebat, initium captivitatis, aliunde omnibus notissimum, commemorare; si ergo de re manifesta crassius scribit, dubia inde necti nequeunt.

V. 3. Initio hujus versus Daniel lectori cogitandum relinquit, annos decurrisse, et nullum adhuc apparuisse indicium secuturae liberationis.—**Converti faciem meam**, i. e. **me**; revera tamen facie versus Jerusalem

„cinere; precatus itaque sum Jehovam Deum 4
„meum, et confessus sum (peccata) dicens: o
„Domine Deus magne et formidabilis! (qui)

---

conversa orasse, per se intelligitur, conf. Dan. 6, 11. — Ut orarem etc. לְבַקֵּשׁ תְּפִלָּה ad quaerendum (nempe gratiam) in oratione, ante תְּפִלָּה intelligendum est Beth praefixum, cujus ellipsis sat frequens est. בִּקֵּשׁ persaepe de oratione occurrit Ezr. 8, 1. Esth. 7, 7. 4, 8. Deut. 4, 29. Ps. 40, 17. 69, 7. 105, 3. 2 Paral. 20, 4. et a. l. Jejunium, cilicium seu saccus, i. e., vestis lugubris, et cinis capiti inspersus luctum indicant, ut in Bibl. Archael. I. Th. II. B. §. 159. S. 164. dictum fuit. — Et confessus sum, וָאֶתְוַדֶּה V. a יָדָה jecit, quasi manu (יָד) jecit, in IV. confessus est, laudavit, gratias egit, quasi manu ostendit laude dignum et benefactorem, unde V. confessus est peccata, quasi manu seipsum ostendit peccatorem, Lev. 5, 5. 16, 21. 26, 40., alias etiam laudavit 2 Paral. 30, 20. Notione confitendi convenit اِسْتَوْدَي X. a وَدَي, data pecunia aliave re expiavit homicidium, quod commissum a se confessus est.

V. 4. Amantibus eum, לְאֹהֲבָיו, suffixum tertiae personae ostendit, ante שֹׁמְרֵי intelligendum esse אֲשֶׁר, quod et alias non raro omittitur. — נוֹרָא quipiam reddunt venerandus, ut Gen. 28, 17. Ps. 66, 3., VII. a יָרֵא timuit, reveritus est. —

„servat foedus et benignitatem amantibus eum
„et custodientibus mandata ejus. Peccavimus, et 5
„perverse egimus, et defecimus a te, et reces-
„simus a mandatis tuis et a legibus tuis; nec obe- 6
„divimus servis tuis Prophetis, qui in nomine
„tuo locuti sunt ad reges, principes et patres

Foedus, בְּרִית, includit promissionem, ad quam hic respicitur. Benignitas, חֶסֶד, proprie στοργη, amor naturalis inter parentes et liberos, inter fratres etc., unde et latius benignitas, clementia, gratia, et beneficia ut effectus amoris; fortasse conferendum est حَشَدَ confluxit, convenit, quo respicitur Job, 37, 13.; Syris חסד est irrisit et misertus est. Conf. Michaelis suppl. ad L. Hebr. p. 852 — 857.

V. 5. Defecimus a te, מָרַדְנוּ defecit a rege, rebellavit; idololatria indicatur, quae erat simul defectio a rege Jehova. — Recessimus, סוֹר modus infinitivus pro finito.

V. 6. Obedivimus, שָׁמַעְנוּ audivimus, aures praebuimus, quod est obedivimus, ut Gen. 39, 10. Exod. 24, 7. Neh. 13, 27. — Patres, inter principes et populum terrae seu plebem medii, sunt spectabiliores viri, patres familiarum majorum, de quibus in Bibl. Arch. II. Th. I. B. §. 8. p. 32 — 33. diximus. — Locuti sunt, דִּבְּרוּ, de monitionibus, hortationibus et comminationibus Prophetarum intelligendum est.

„nostros omnemque populum terrae. Tu Domine 7
„justus es, nobis vero debetur ignominia, (quam)
„hodiedum (experimur), quilibet de (regno)
„Juda, et incolae Jerosolymorum, et omnes de
„(regno) Israel, propinqui et longinqui in omni-
„bus regionibus, in quas eos ob perfidiam, qua
„praevaricati sunt in te, expulisti. Domine! 8
„ignominia (debetur) nobis, regibus, princi-

V. 7. Justus es, לְךָ צְדָקָה tibi est justitia, i. e., tu habes justitiam, seu justus es; profitemur te esse justum; nam calamitates, quas nobis immisisti, commeruimus. — Ignominia debetur nobis, proprie nobis confusio faciei, seu habemus confusionem faciei, לָנוּ בֹּשֶׁת פָּנִים; poena nobis debetur, cujus effectus est confusio, et ita ponitur effectus pro caussa; forma בֹּשֶׁת est a יָבֵשׁ aridus fuit, significatio autem a בּוֹשׁ pudefieri, confundi. — Experimur et Relativum quam, in textu Hebr., facile supplenda, intelliguntur. — Quilibet de etc. אִישׁ יְהוּדָה, esse omnes de regno Juda, quorum pars erant incolae Jerusalem, patet ex oppositione לְכָל יִשְׂרָאֵל. Falluntur, qui ex hac sententia colligunt, Jerusalem aetate auctoris habuisse incolas, ideoque non a Daniele, sed aetate Maccabaeorum haec scripta fuisse; nam si haec valeret conclusio, etiam regnum Israel aetate auctoris adhucdum substitisse, concludi posset; sermo est de illis, qui olim erant cives regni

„pibus et patribus nostris, quia peccavimus in
„te. Dominus Deus noster est misericors et pro- 9
„pitius, etsi ei refractarii fuimus, et non obedivi-
„mus monitis Jehovae Dei nostri, nec egimus juxta 10

Judae et Jerosolymorum, et regni Israel. — In quas... eos expulisti, אֲשֶׁר הִדַּחְתָּם שָׁם, duo relativa, ut alias saepè, loco unius; הִדִּיחַ IV. a נָדַח impulit, expulit, repulit, dispulit; propinquum est نَدَحَ dilatavit, in V. dispersae et longius a caula digressae sunt oves. — Ob perfidiam etc. בְּמַעֲלָם אֲשֶׁר מָעֲלוּ בָךְ ob perfidiam vel ob praevaricationem eorum, qua praevaricati sunt in te; — מָעַל praevaricatus est, inprimis consilio, malitiose, perfide, ut Num. 5, 6. 12. Deut. 32, 51. Jos. 7, 1. 22, 16.; vicinum est مَغَلَ rapuit, abripuit rem, et مَغَلَ susurravit, obtrectavit, et مَغِلَ corruptus, vitiatus fuit.

V. 9. Dominus Deus etc., לַאדֹנָי הָרַחֲמִים וגו׳, proprie: Domino Deo nostro sunt miserationes etc., quod idem valet ac Dominus .. est misericors etc. — סְלִיחוֹת propitiationes, forma duntaxat in recentioribus scriptis obvia, ut Ps. 130, 3. Neh. 9, 16 — 17., a סָלַח propitius fuit, condonavit; in dialectis deest. — Nec egimus, לָלֶכֶת eundo in doctrinis ejus; orientales rationem agendi comparare ambulationi, in Bibl.

„doctrinas ejus, quas proposuit nobis per Pro-
„phetas servos suos. Nam omnes Israelitae trans- 11
„gressi sunt legem tuam et retrocesserunt, quin
„obedirent monitis tuis; hinc effusa est super
„nos maledictio et imprecatio, quae scripta est
„in lege Mosis servi Dei, quia peccavimus in

Archael. I. Th. II. B. §. 239. S. 515. annotavimus. — **Doctrinas**, hanc notionem videtur vox תּוֹרוֹת h. l. obtinere. — **Proposuit** etc. = נָתַן לְפָנֵינוּ, **dedit ante faciem nostram**. — **Per**, בְּיַד **in manu**, formula satis frequens, et multo frequentior in dialecto Syriaca pro **per**.

Vers. 11. **Transgressi sunt**: עָבַר de transgressione legis occurrit Deut. 26, 13. 29, 12. Jes. 24, 5. 2 Paral. 24, 20. et a. l. — **Retrocesserunt**, סוּר rursus, ut supra v. 5., infin. pro finito. — **Quin obedirent**, לְבִלְתִּי שְׁמֹעַ בְּקוֹלֶךָ **absque audire in vocem tuam**, i. e. quin obedirent. **Hinc effusa est**, וַתִּתַּךְ, Vau praefixum caussam exprimit; נָתַךְ **fusus, effusus est**, usurpatur de pluvia Exod. 9, 33. 2 Sam. 21, 10.; de aqua Job. 3, 24.; de metallis liquefactis Ezech. 22, 20. 2 Reg. 22, 9.; tropice de copia rerum, aut de multitudine vel magnitudine irae divinae seu poenarum venit, ut Jer. 42, 18. 44, 6. 2 Paral. 12, 7. 34, 28.; Chaldaeis נְתַךְ inusit., in III. אַתִּיךְ **fudit, conflavit**; نَتَكَ **compressit** penem suum **ad exprimendas urinae reliquias**. Verbum re-

„eum: Comminationes suas, quibus comminatus 12
„fuit nobis et gubernatoribus nostris, qui nos
„gubernabant, implevit adducendo super nos
„malum grande, ut non sit sub coelo factum,
„quod factum est Jerosolymis. Sicut scriptum 13

---

curret v. 27. — Maledictio et imprecatio; שְׁבוּעָה et אָלָה est jusjurandum, quo maledictio et imprecatio continetur, quâ jurans se obstringit; unde reapse designat mala illa, quae jurans sibi imprecatur; quare sensus est: obruti sumus malis, quae Deus nobis in lege Mosis minatus est et nos jurejurando nobis imprecati sumus Deut. 28, 36 — 37. 63 — 68. 29, 24 — 28. 30, 1 — 10. Lev. 26, 1 — 45.

V. 12. Comminationes suas .. implevit = וַיָּקֶם דְּבָרָיו stabilivit sermones suos, de completis comminationibus sermonem esse, patet. — Et gubernatoribus etc. = וְעַל שֹׁפְטֵינוּ וגו׳; verbum שָׁפַט judicavit, etiam de regimine et gubernatione usurpari, liquet ex Jud. 2, 18 — 19. 10, 2 — 3. 16, 31. Ruth. 1, 1. 1 Sam. 4, 18. 8, 20.

V. 13. Neque deprecati .... recedendo etc. Ita jungenda esse membra, series orationis docet: — לֹא חִלִּינוּ אֶת פְּנֵי יי׳ non sumus deprecati faciem Jehovae, i. e. Jehovam; חִלָּה פָנִים deprecatus est, proprie vel suavem reddidit, vel attrivit faciem alterius, a חָלָה = حلا dulcis fuit, placuit, vel a حلّا attri-

„erat in lege Mosis, ita omne malum hoc venit
„super nos, neque deprecati sumus Jehovam
„Deum nostrum recedendo ab iniquitatibus no-
„stris, et sapiendo per veritatem tuam. Vigila- 14

---

vit collyrium, conf. Michaelis Suppl. ad Lex. Hebr. p. 764 — 766. — Sapiendo, לְהַשְׂכִּיל, IV. a שָׂכַל sapiens, intelligens, prudens fuit, sapienter egit; Syris e contrario סכל stultus factus est, insanivit, sed in II. pass. intelligens factus est, intellexit, attendit; شَكَلَ ligavit jumentum sub ventre, aut avem in pede; unde شَكِلَ obscura, intricata, quasi ligata, fuit res. Orientales sapientiam jam deducunt a soliditate, ut חָכַם, حَكَمَ firmiter, solide fecit rem, et sapiens fuit; jam a firma ligatione, ut عَقَلَ constrinxit, intelligentia polluit, et nostrum שָׂכַל, quod tamen a Syris alio flexu etiam ad insaniam transfertur, quasi dicas mente ligatus fuit. — Per veritatem tuam, i. e., veram religionem, quam dici in oriente veritatem, alibi docui, conf. Ps. 25, 5. 26, 3. 86, 11. Joh. 8, 32. 16, 13. Gal. 3, 1. Coloss. 1, 6.; אֱמֶת contractum ex אֱמֶנֶת veritas, fidelitas, sinceritas, ab אָמַן firmus fuit, fidelis fuit.

V. 14. Vigilavit; שָׁקַד vigilavit, et tropice attentus, sedulus fuit, quod hic innuitur;

„vit itaque Jehova ad malum, ut illud nobis im-
„mitteret; nam justus fuit Jehova Deus noster
„in omnibus operibus suis, quae fecit, quia non
„gesseramus morem monitis ejus. Nunc itaque 15
„Domine Deus noster! qui eduxisti populum
„tuum ex regione Aegypti manu forti, et feci-
„sti tibi nomen, quale est hodie! peccavimus,
„inprobe egimus. Domine! juxta omnia bene- 16
„ficia tua avertatur ira tua et indignatio tua ab

---

propinquum est شَغُلَ (non ut Simonis Lex. شَغِلَ) insomnis fuit; Syris deest.

V. 15. **Manu forti**, בְּיָד חֲזָקָה, i. e., potenti operatione, nempe miraculis castigantibus et cogentibus extorsisti dimissionem populi ex Aegypto; id respicit dimissionem ex captivitate Babylonica, quam exorare contendit Daniel. — **Fecisti tibi** etc. i. e., gloriam tibi comparasti.

V. 16. **Juxta omnia beneficia tua**; צְדָקוֹת **justitiae** dicuntnr ab orientalibus etiam eleemosynae Ps. 112, 9., et alia quoque beneficia Ps. 51, 16.; ita صَدَقَة et Syr. זִדקא est etiam **eleemosyna**; et in Korano Sur. V. 49. de eo, qui pro jure talioris recipit pretium redemtionis, remittit poenam, et ita beneficium praestat, dicitur تَصَدَّقَ بِهِ **justum se exhibet ei**, et id est, beneficum, benevolum se exhibet; conf. Michaelis Suppl. ad L. H. p. 2067. Justitiae Dei nempe laudantur illa benefi-

„urbe tua Jerusalem, a monte tibi consecrato;
„nam ob peccata nostra et ob iniquitates majo-
„rum nostrorum Jerusalem et populus tuus est

---

cia, quae Deus in Israelitas contulit. — Avertatur, יָשֹׁב, pro יָשׁוֹב, revertatur, recedat, i. e., sedetur ira, seu recedat poena (captivitas), quae, ut effectus, venit nomine irae et indignationis; חֵמָה est a יָחַם = חָמַם, ut تودم = ودم incaluit, calidus fuit. Manifestum est, peti finem captivitatis, reditum in patriam, et restitutionem Jerosolymorum. — A monte tibi sacro, הַר קָדְשֶׁךָ monte sanctitatis tuae, nempe Substantivum pro Adjectivo vel Participio; est mons Moria, in quo templum exstructum fuit. — Circum nos, סְבִיבֹתֵינוּ, quod non dicit, ut Bertholdus vertit, Gränznachbarn, ac si aetate auctoris Jerusalem jam fuisset restaurata, sed indicat illos, quibuscum Hebraei versabantur in exilio, conf. Ps. 137, 3 — 5. Hoc sensu alias haec formula usurpatur, Job. 29, 5. Ps. 22, 6. 89, 9., nec ulla adest ratio, cur ab hoc constanti usu loquendi recedendum esset. Exules nempe gloriabantur de Jerusalem, et hoc cessit in opprobrium apud illos, quibuscum agebant, cum urbs diruta esset, nec a Deo suo servata fuisset, assi Deus urbem et populum servare non potuisset aut noluisset. — Ceterum semel monuisse sufficiat, personas saepe mutari, quam mutationem in versione tollere nolui.

„in opprobrium omnibus, qui circum nos sunt.
„Exaudi, Deus noster! preces servi tui et sup- 17
„plicationes ejus, et propter te ipsum propi-
„tius respice sanctuarium tuum vastatum! Incli- 18

V. 17. Exaudi; שְׁמַע audivit, et etiam exaudivit, quia orientales carent verbis compositis. — Propitius respice, הָאֵר פָּנֶיךָ illumina, seu lucidam (amicam) fac faciem tuam, sicut solent, qui propitii, clementes et benefici sunt; הָאֵר IV. ab אוּר lucere, illucescere. — Sanctuarium tuum, מִקְדָּשְׁךָ locum tibi sacrum, nempe templum, vel etiam Jerusalem mox supra memoratam, quae adhucdum ab ipsis quoque Mohammedanis appellatur قُدْس (קֹדֶשׁ) sanctitas, et بيت المقدس domus sanctitatis seu sancta. — Vastatum, שֹׁמֵם et foem. שְׁמֵמָה hac forma duntaxat hic et Thr. 5, 18. ac Jer. 12, 11. occurrit, a שָׁמֵם obstupuit de animatis, ast de inanimatis, vastatus, desolatus fuit, et vastavit; affine est سمّ venenum propinavit, vento Samum aestuavit nocuitve dies. Syris deest. — Propter te ipsum, sensum expressi, לְמַעַן אֲדֹנָי, propter Dominum, nam linguae occidentales non ferunt ut nomen repetatur loco pronominis, conf. Gen. 19, 24.
V. 18. Aperi, פְּקָחָה cum He paragogico, quod K'ri sine eo legi jubet פְּקַח, a פָּקַח = فقح ape-

„na, Deus mi! aurem tuam et audi! aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram, et urbem, quae a nomine tuo vocatur! Non enim

---

ruit, proprie de oculis, raro de auribus dicitur, et, ut Syr. III., floruit, quasi aperuit flos calicem. — Inclinare aurem et audire, oculos aperire et videre, anthropopaticae expressiones, quae nihil amplius dicunt, quam v. 17. exaudire. — Desolationes nostras et urbem, hendiadis est loco desolationes urbis nostrae, quarum finem exorat supplex. Participium שֹׁמֵמוֹת substantive usurpatur. — Quae a nomine etc., אֲשֶׁר נִקְרָא שִׁמְךָ עָלֶיהָ (super) qua vocatur nomen tuam super ea, i. e., quae vocatur urbs Jehovae, urbs Dei, Jes. 43, 7. 44, 5. 8. 48, 1. 65, 1. et conf. Ps. 46, 5. 48, 2. 9. 87, 3. Neh. 2, 5. 11, 1. — Nostris bonis operibus, צִדְקוֹתֵינוּ, proprie justitiae nostrae, quae non sunt nisi exercitia probitatis, leges observatae, seu, ut loquimur, bona opera. Ceterum intelligendum esse freti vel fidentes, contextus docet. — Deferimus, אֲנַחְנוּ מַפִּילִים תַּחֲנוּנֵינוּ לְפָנֶיךָ nos facientes cadere, i. e. facimus cadere, prosternimus vel deferimus supplicationes nostras ante faciem tuam, i. e. coram te, vel tibi; נָפַל cecidit, in I. et IV. de precibus interpositis usitatum est, 42, 2. 9. 37, 20. 36, 7. 38, 26.

„nostris bonis operibus, sed tuis magnis misera-
„tionibus freti, deferimus tibi supplicationes
„nostras. Domine audi! Domine propitius esto! 19
„Domine ausculta et fac! et propter teipsum,
„Deus mi! non differ! quia urbs tua et populus
„tuus a tuo nomine cognominatur.

„Cum adhuc loquerer precans et confitens 20
„peccata mea et peccata populi mei Israel, et
„supplicationem meam Deo meo deferrem pro
„monte ei sacro; cum itaque adhuc loquerer 21

V. 19. Propter te ipsum, nempe quia tu ipse a gentibus, ut Deus impotens, blasphemaris, qui populum a te denominatum liberare, et urbem tibi sacram restituere non possis. Fac itaque, libera populum, restitue urbem, non differ, nec prolonges terminum a Jeremia praedictum. Notandum omnino est, quid Propheta exoret, quod non frustra saepius, ut v. 15 — 18., monuimus; paulo post erit locus, hac observatione in rem nostram utendi.

V. 20. Cum adhuc, וְעוֹד, Vau praefixum supplet conjunctionem temporis cum, ut in Gramm. Lingu. Hebr. p. 438. nro. 16. docuimus. — Loquerer, אֲנִי מְדַבֵּר ego loquens, nempe essem, id est, loquerer. — Peccata mea etc., חַטָּאתִי et חַטַּאת עַמִּי collectiva sunt; sermo enim est, de illis multis peccatis, quae in praecedentibus confessus fuit.

V. 21. Prius, בַּתְּחִלָּה in principio, quod saepe valet antea, prius, ut Gen. 13, 3. 43, 20.; re-

„precans: vir Gabriel, quem prius in visione „videram, festinanter properans pertigit ad me

---

spicitur ad c. 8, 15 — 18. — Festinanter properans, מוּעָף בִּיעָף, properare factus in properatione, a יָעַף, quod non solum significat defatigatus fuit, lassus fuit, quod angelo non convenit, sed etiam celeriter incessit, Prov. 23, 5.; nempe ut وَغَفَ celeriter incessit, cucurrit; recte Alexandrinus: ταχει φερομενος, celeritate latus, seu celeritur veniens. Alii insistunt quidem notioni τȣ יָעַף fessus, defatigatus fuit, sed referunt ad Danielem, qui, ut Dan. 8, 15 — 18., deliquium animi passus sit, quam notionem non sine vi huic loco obtrudunt. Alii, ut Syrus, Chaldaeus, Theodotio et Vulgatus, referunt quidem ad Gabrielem, sed de volatu explicant, ac si volando advenerit, uti Ezech. 1. Cherubim, et Jes. 6, 2. 6. Seraphim alis instructi sunt; hinc haec duo verba derivant ab עוּף volare, ut יְעַף sit formae יְקוּם; verum quia haec forma perrara est, merito rejicitur, cum verba, ut vidimus, multo commodiorem admittant interpretationem. — Pertigit ad me, נֹגֵעַ אֵלַי, tangens ad me, nempe fuit, seu pertingebat ad me, ut Alexandrinus et Syrus vertunt, conf. Jon. 3, 6. Jer. 51, 9. Mich. 1, 9. Gen. 28, 12. Job. 4, 5. 20, 6. Jes. 8, 9. 5, 8. 2 Paral. 2, 12. — Tempus oblationis vespertinae post exi-

„circa tempus oblationis vespertinae, qui docuit
„me, loquens mecum et dicens: Daniel! nunc 22

---

lium erat ab inclinante sole usque ad occasum; hic autem tempus hoc cogitandum, ut erat ante exilium, nempe ab occasu solis usque ad tenebras noctis. Conf. meam Bibl. Arch. I. Th. I. B. §. 114. S. 486. et III. Th. §. 117. S. 438.

V. 22. Qui edocuit, וַיָּבֶן Vau supplet Relativum; יָבֵן (IV. a בִּין) fecit intelligere, i. e., declaravit, edocuit, exposuit, nempe, illud, quod precatus fui, scilicet finitis 70 annis, a Jeremia praedictis, instare finem captivitatis, quem ex adjunctis temporis Daniel non poterat praevidere. Ita intelligendum esse, urget nexus cum v. 2. et cum tota oratione Danielis, quae agebat de hoc fine exilii conf. 15 — 19.; si aliter interpreteris, in gravissimam hermeneuticae de contextu legem gravissime peccas. — Nunc exivi, respicit id, quod v. 23. dicitur, mox initio precum sententiam emanasse. — לְהַשְׂכִּילְךָ בִינָה ad docendum te intelligentiam, quod alias per Verbum finitum cum finito ejusdem vel cognati Verbi exprimitur, et vel consuetum modum indicat, vel aliquam vim addit orationi, ut in Grammat. Lingu. Hebr. §. 112. p. 384 — 386. docuimus; itaque vel perspicuitatem exprimit, vel modum docendi consuetum indicat, conf. Jer. 23, 20. — Sententia, דָּבָר, sermo, nempe de fine 70 annorum, adeoque sententia.

„exivi, ut te perspicue edoceam. In principio 23
„supplicationum tuarum exivit sententia, et ego „venio, ut tibi annunciem, quia carus es; per„cipe igitur sententiam, et attende ad visionem."

Dan. 9, 24.

Jam sequitur illa, v. 23. memorata, divina sententia seu revelatio, quae mox initio precum cmanavit, et respondet his ipsis precibus, quibus Daniel finem captivitatis, elapsis 70, a Jeremia praedictis annis exoravit; quare responsum de his ipsis annis agere, et iis elapsis finem captivitatis vel promittere vel dcnegare debet. Id series orationis postulat, et

---

V. 23. חֲמוּדוֹת idem est ac Dan. 10, 11. 19. אִישׁ חֲמֻדוֹת, quod, quid indicct, docent phrases כְּלֵי חֲמֻדוֹת vasa pretiosa Gen. 27, 15. 2 Paral. 10, 25., ct לֶחֶם חֲמֻדוֹת cibus pretiosus, deliciosus, Dan. 10, 3.; quare recte vertitur praestáns, carus, excellens, conf. et Dan. 11, 38. 43. — בִּין, et הֵבִין IV. a בִין, synonyma sunt, atque ita etiam דָּבָר et מַרְאֶה sunt synonyma; מַרְאֶה, visio, venit nempe pro objecto visionis, pro eo quod non tantum oculis videtur, sed auribus vel mcnte percipitur, uti ipsum Verbum רָאָה non solum de visu, sed etiam de reliquis sensibus dicitur Exod. 20, 15. Jer. 33, 23. Eccl. 8, 16. Ps. 16, 10. 77, 17. 89, 49. 49, 10. 71, 20., atque etiam de mente usurpatur Gcn. 42, 1. 1 Reg. 10, 4. Eccl. 1, 16. Jer. 2, 21.

argumentum exegeticum praebet irrefragabile. De denegatione nequidem vestigium reperitur; quare sensus, necessario verus erit ille, qui satisfacit voto Danielis, ut terminatis 70 annis, a Jeremia praedictis, finiatur captivitas, et Hebraei redeant in patriam, et restituant urbem Jerusalem et templum. Si lex hermeneutica, quae sensum contextui repugnantem statuit esse certo falsum, vim suam obtinet: angelus Gabriel de 70 hebdomadibus intelligi nequit; nam prorsus ineptum ad preces Danielis esset responsum, si ita intelligendum foret: tu quidem precatus es, ut captivitas elapsis illis, a Jeremia praedictis 70 annis finiatur; sed post 70 hebdomades annorum (post 490 annos) fiet hoc vel illud; atque hoc reapse diceret juxta hanc interpretationem angelus. — Si autem ita vertas: non 70 anni, sed 70 hebdomades annorum indicatae sunt a Jeremia, quibus elapsis fiet hoc vel illud; profecto verbis, quod non complectuntur, violenter obtrudis, sensumque infers, non effers; imo verba quoque Jeremiae pervertis, qui ter c. 25, 11 et 12. c. 29, 10. diserte 70 annos praedixit, quos pro lubitu in 70 hebdomades convertis; denique et aliis sententiis, quae in sequentibus occurrunt, repugnabis, ut paulo post videbimus. Quare certum et firmum est, v. 24. sermonem esse de 70 annis a Jeremia praedictis, et his elapsis reditum in patriam promitti.

Contextus itaque, ut modo vidimus, argumentum praebet inexpugnabile, puncta שָׁבֻעִים hebdomades, quia de hebdomadibus, repugnante contextu,

sermo esse nequit, esse erronea, et puncta esse subjicienda שִׁבְעִים septuaginta, ut repetitio שִׁבְעִים שִׁבְעִים sit, sicut similis repetitio Num. 8, 16. Deut. 2, 27. 16, 20. 1 Reg. 8, 65 — 66. coll. 2 Paral. 7, 8 — 9. Zach. 4, 2., vehementior asseveratio, quae fervidis Danielis precibus adprime convenit: septuaginta, ita prorsus septuaginta, ellipsis anni, שָׁנִים, ex versu secundo supplenda est; et id nihil mirum, siquidem hi anni etiam longis Danielis precibus substrati sunt. Attentionem non meretur unicus codex Kennicottianus 147, etsi in aliis praestans, qui vocem hanc plene scriptam שָׁבוּעִים exhibet, profecto non est nisi error librarii, qui etiam in codice de Rossiano 380 occurrit, sed correctus. Magni sane momenti est adeo constans scriptio in omnibus reliquis codicibus defectiva, cum in aliis similibus vocibus frequens observetur scriptionis plenae et defectivae variatio. Puncta שָׁבֻעִים emendicata sunt ex v. 27., ubi שָׁבוּעַ occurrit, quod autem in omnibus codicibus constanter plene scriptum est. Haec vox שָׁבוּעַ hebdomas, v. 27., ansam praebuit antiquis Judaeis, qui Kabbalam noverant, etiam in v. 24 — 26. arcanas hebdomades quaerendi, et שָׁבֻעִים enunciandi, uti etiam Ezech. 45, 21. שְׁבֻעוֹת יָמִים induxerunt pro שִׁבְעַת יָמִים, quod Alexandrinus, Syrus uterque, et Vulgatus exprimunt; conf. Rosenmüller Schol. in Ezech. T. II. p. 681 — 683. Vero quoque dissimile est, angelum, aut scriptorem tempus involucro hebdomadum annorum celasse. Quodsi autem liberaliter daremus, quod aliqui contendunt, Kabbalam multo

esse antiquiorem, quam vulgo existimatur: prima tamen illa antiquiora Kabbalae initia tam late patuisse, gratis et ad sustinendam duntaxat hypothesim fingitur, nec ullo argumento comprobatur. Novimus quidem, Hebraeis fuisse annum sabbathicum et hebdomadem annorum, uti etiam hebdomadem annorum sabbathicorum, Lev. 25, 8 — 17.; ast extra oeconomiam, tribunalia et sacra, unquam praebuisse normam numerandi annos, nullibi ullum, vel levissimum deprehendimus vestigium; e contrario ipsum quoque annum sabbathicum ante exilium neglectum fuisse, non obscure innuitur 2 Paral. 36, 21. conf. Lev. 26, 34 — 35., et annus Jobelaeus nec ante nec post exilium observabatur. Occurrunt quidem Dan. 10, 2. tres hebdomades, verum nequaquam, ut quipiam finxit, annorum sed dierum, uti diserte additur: שְׁלשָׁה שָׁבֻעִים יָמִים, i. e., tres plenas hebdomades; et quis audeat jejunium Danielis, de quo ibi sermo est, in triennium, extendere? — Profecto nulla apparet ratio, qua probari possit, sermonem esse de hebdomadibus annorum, cum nulla adsit hebdomadum nota praeter puncta, quibus invito contextu superstitiose credulus esse non potest, nisi qui artificiis Kabbalae non parum faveat. A longe petitum est, et huc minime facit, quod Bertholdus ex Aulo Gell. N. A. III. 10., ex Aristotele Polit. VII. 16., et ex Censorino de die natal. c. 14., de hebdomadibus annorum producit; nam anni in his locis diserte exprimuntur, ut hebdomas annorum prorsus synonyma sit septem annis; et quid denique Graeci et Latini ad Hebraeos? Osten-

dendum fuerat, Hebraeis non tantum mandatam, sed etiam usitatam fuisse hanc annos computandi rationem, ut Dan. 9, 24. sine ullo alio indicio et auctoritate, ne dicam, etiam repugnante contextu, intelligi possit et debeat. Interpretes quidem antiqui hebdomades exprimunt, verum secuti sunt enunciationem Judaeorum, et consuluerunt interpretem Alexandrinum, qui tamen, ut paulo post videbimus, sibi minime constat, sed etiam annos exprimit. Ceterum auctoritas interpretum praevalere nequit contextui, cui hebdomades repugnant.

נֶחְתַּךְ, a nullo hucusque interpretum, quos inspexi, ex usu loquendi explicatum est. Recentissimus, Bertholdus, vertit: definiti sunt (sind bestimmt), nec tamen argumentis comprobat, sed provocat ad antiquos, qui autem inter se minime consentiunt. Alexandrinus vertit: εκριθησαν, Theodotio συνετμηθησαν, Syrus נֶתְנִיחוּן, quiescent vel desaevient; Vulgatus abbreviatae sunt. Merae hariolationes de verbo difficiliori. Michaelis, mutatis punctis in נְחִתָּךְ, reddit: descendunt ad te. eo nempo sensu, quo Arabes utuntur Verbo نَزَلَ descendit, pro revelatum fuit. Verum nulla mutatione opus est, sed נֶחְתַּךְ maneat forma VII. a חָתַךְ, quod prorsus idem est cum حَتَكَ, a Golio, in appendice Lexici Arab. col. 2796 relatum, vertitur, 1) incessit pec. contracto et properato gradu; 2) idem quod نَحَتَ dolavit, vel potius.

idem quod بَحَتَ, ita enim pro نحت legendum videtur, purus fuit, 3) i. q. فَحَصَ investigavit, festinavit, cucurrit; adducitur denique phrasis: لَا أَدْرِي أَيْنَ حَتَكُوا, non scio, quo abierint. Quisquis igitur his lectis memor est, Danielem uno alterove anno ante finem illorum 70 annorum, qui captivitati a Jeremia praefixi fuerant, exorasse reditum in patriam, minime dubius haerebit, seriem orationis postulare notionem decurrendi, deproperandi, abeundi, et vertendum esse, septuaginta, septuaginta (illi anni) decurrunt, abeunt, vel deproperant, nempe vergunt ad finem, ultra quem captivitas non prolongabitur, sed sequetur dimissio et reditus, qui mox sequentibus phrasibus describitur, ut modo videbimus. Nominativus pluralis cum Verbo singulari satis frequens est, ut neminem turbare possit. Haec vera, testimonio linguae Arabicae comprobata, notio Verbi נֶחְתַּךְ manifeste repugnat 70 hebdomadibus; nam de futuris 490 annis dici nequit: abeunt, decurrunt, deproperant, atque ita puncta שִׁבְעִים שִׁבְעִים rursus confirmantur.

Verba sequentia, jungenda praecedentibus, עַל עַמְּךָ וְעַל עִיר קָדְשֶׁךָ super populum tuum et super urbem sanctitatis tuae, i. e. urbem tuam sanctam, respiciunt ad v. 16 — 19, ubi Daniel precatus est, ut Deus misereatur populi sui et urbis sanctae, et reditum Hebraeorum elapsis illis 70 an-

nis non retardet; hic ergo dicitur: ad finem vergunt illi anni super populum tuum et urbem tuam sanctam, seu prope est, ut populus tuus redeat, et urbem sanctam restauret; unde rursus patet, de fine 70 annorum, de quo in precibus locutus est Daniel, et nequaquam de 70 hebdomadibus esse sermonem.

לְכַלֵּא הַפֶּשַׁע ad cohibendam praevaricationem, a כָּלָא continuit, cohibuit; sed omnes versiones exprimunt לְכַלֵּה ad finiendam praevaricationem, a כָּלָה finitus, absolutus, perfectus fuit. Alexandrinus et Theodotio: συντελεσθηναι την ἁμαρτιαν; Aquila: τε συντελεσαι την αθεσιαν; Syrus: ܠ מְשַׁלָּם חַיָּבָא ad finienda debita, i. e. delicta; Vulgatus: ut consummetur praevaricatio. Hanc lectionem לְכַלֵּה adhucdum sistunt 39 codices, 2 pr., 1 nunc, et habet etiam R. Nachmanides. Haec tamen lectionis variatio sensum non mutat; perinde enim est, sive dicas: ad cohibendam, sive ad finiendam praevaricationem; nam quod cohibetur, etiam finitur, et vicissim. Cardo vertitur in פֶּשַׁע, quod proprie est defectio, rebellio, praevaricatio, peccatum proaereticum, non raro autem latius usurpatur, et metonymice saepe venit pro poena defectionis vel peccati, ut in Hermeneutica §. 37. p. 108 — 109. nro. II. exemplis docui, quibuscum confer Jes. 24, 20. Ps. 39, 9. 103, 12. Nostro loco de finienda captivitate sermo est, quae erat poena idololatriae; quare פֶּשַׁע hanc ipsam poenam praevaricationis indicat, quam Daniel in sup-

plicatione sua deprecatus fuit. Sensus ergo est: illi 70 anni decurrunt ad finiendam vel cohibendam poenam defectionis a Deo, nempe captivitatem.

וְלַחְתֹּם חַטָּאוֹת et ad obsignandum peccata, vel, ut non pauci testes lectionis habent, peccatum, חַטָּאת, notione collectiva, rursus per metonomyam pro poena peccatorum, nempe captivitate, ut חַטָּאת usurpatur etiam Num. 16, 26. 32, 23. 2 Sam. 12, 13. Hos. 13, 12. Zach. 14, 16 — 19. et a. l. Obsignare autem poenam peccatorum esse idem ac finire, docet dialectus Arabica, in qua خَتَمَ obsignavit, obsigillavit, venit etiam pro finivit, uti in Abulfedae Annal. Moslem. T. III. p. 396. de Chalipha Moktada, qui librum scripsit, dicitur: خَتَمَهُ finivit eum. Haec quidem lectio est K'thib; K'ri autem jubet legi: לְהָתֵם ad finiendum, consummandum, quod sistunt in textu codices 40, pr. 4, forte 7, Biblia Complut., Hagiographa Neapol., Alexandrinus, Aquila, Symmachus, Syrus et Vulgatus, adeoque non contemnendum; est IV. a תָּמַם integer, consummatus, finitus fuit, in IV. perfecit, absolvit, consummavit, finivit, consumsit. Ex his apparet, eundem utriusque lectionis esse sensum.

וּלְכַפֵּר עָוֺן et ad expiandam iniquitatem. Iniquitas, vel collective iniquitates hae sunt illae, quae Hebraeis captivitatem attulerunt, quas supra deprecatus est Daniel, et quae expiatae sunt, quando poena remittitur, seu captivitas finitur. Idip-

sum Jes. 40, 2. exprimitur נִרְצָה עֲוֹנָהּ expiata est iniquitas ejus, seu poena iniquitatis persoluta est ab urbe Jerusalem, et Jes. 44, 22. מָחִיתִי כָעָב פְּשָׁעֶיךָ deleo ut nubem praevaricationes tuas, i. e. poenam captivitatis finio. — כִּפֵּר = كفر et غفر, texit, operuit, obduxit, oblevit; hinc in II. texit peccata, est remisit, condonavit, nempe ita texit peccata, ut Deus jam poenam non requirat, quasi peccata jam non respiciat. Vulgatus sensum utcunque exprimit: ut deleatur iniquitas; Alexandrinus: *και τας αδικιας σπανισαι*; Theodotio in codice Chisiano duas versiones habet, quarum altera est explicatio alterius: *και απολειψαι αδικιας, και εξιλασθαι αδικιας.*

וּלְהָבִיא צֶדֶק עֹלָמִים et ad adducendam justitiam seculorum, i. e., antiquam, ut Jer. 5, 15. הָעָם מֵעוֹלָם populus a seculo, i. e. populus antiquus; Jer. 6, 16. נְתִיבוֹת עֹלָם semitae seculi, i. e. antiquae conf. et Jer. 18, 15. 51, 39. 57. Ps. 139, 24. et a. l. Justitia antiqua stricte intelligenda est illa antiqua immunitas a poena, cum Hebraei habitabant in patria sua, ut opponatur injustitiae poenâ affectae, cum Hebraei patria pulsi poenas peccatorum luebant; sensus ergo est: ad adducendum statum a poena (captivitate) liberum. Alexandrinus: *και απολειψαι αδικιας*, inversa sententia, nisi forte sit alia membri prioris versio omisso nostro.

וְלַחְתֹּם חָזוֹן וְנָבִיא et ad obsignandum visionem et Prophetam. — חָתַם hic non venire

notione finiendi sed obsignandi, substrata materia docet; nam visio non finitur, sed impletur, et Propheta implemento vaticinii sigillo veracitatis obsignatur, i. e., verax fuisse docetur; adeoque obsignare visionem seu vaticinium est implemente praedictorum, quasi sigillo veritatis comprobare. Adjungitur Propheta obsignandus, ubi vel est hendiadis pro: visionem Prophetae, vel Propheta venit pro libro, ut dicere consuevimus Demosthenem, Ciceronem pro operibus ab ipsis conscriptis. Alexandrinus intellexit de aperiendo sigillo, ut vaticinium plene intelligatnr: τȣ διανοηθηναι το ὁραμα; Syrus sensum secutus est: et ut compleantur visio et Prophetae; et ita etiam Vulgatus: et impleatur visio et Propheta. Sermo est de vaticinio Jeremiae c. 25, 11 — 12. et c. 29, 10., quod Daniel c. 9, 2. legisse se dicit. Hoc vaticinium quidem non erat visio, sed quia Prophetis plures revelationes visione obtingebant, vox חָזוֹן ad omnia vaticinia translata fuit, conf. dicta ad v. 23. Articulus quidem, quia singulare vaticinium et certus Propheta respicitur, praepositus esse deberet, הֶחָזוֹן וְהַנָּבִיא; sed recentiores Hebraei, ut notum est, leges grammaticae non raro negligunt; quare opus minime est, has voces facere collectivas, ut sententia spectet simul ad vaticinia reliquorum Prophetarum de reditu ex captivitate, quod contextui, qui totus de vaticinio Jeremiae agit (conf. v. 2. 16 — 19.), non satis congruit.

וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים et ad ungendum sanctum sanctorum, nempe sanctissimum, seu adytum

templi. Alexandrinum interpretem non moramur, qui vertit εὐφρᾶναι, manifestum enim est, eum ex inadvertentia לִמְשֹׁחַ permutasse cum לְשַׂמֵּחַ, quod objecto inanimato (templo) non satis convenit; hinc Theodotio, qui alias Alexandrinum sequitur, hic ab eo recedit, et recte transfert: τȣ χρῖσαι, etsi in ἅγιον ἁγίων, cum Alexandrino convenit. Syrus enunciavit לִמְשֹׁחַ, vertit enim: ולמשיחא קדוש קודשין et ad Messiam sanctitatem sanctitatum; Vulgatus: et ungatur sanctus sanctorum; uterque repugnante contextu et usu loquendi; nam sermo, ut vidimus, in tota hac orationis serie est de fine captivitatis, dē reditu in patriam, et de restauratione Jerosolymorum et templi; atque phrasis קֹדֶשׁ קָדָשִׁים, sanctitas sanctitatum, vel sanctum sanctorum, i. e. sanctissimum in Bibliis 43 locis occurrit, nunquam tamen de persona, sed jam de quibusdam sacris oblationibus aut de parte earum, jam de altari et quibusdam sacris utensilibus, jam de דְּבִיר seu adyto sacri tabernaculi vel templi usurpatur, ut Exod. 26, 33 — 34. Ezech. 43, 12. 2 Paral. 3, 8 — 10. et a. l. Unctio et materia nostro loco substrata, nempe reditus et restitutio urbis et templi, quam Daniel exoravit (conf. v. 2, 15 — 19.), determinat hanc phrasim ad templum, cujus adytum ungebatur, seu solenniter dedicabatur, uti de sacro tabernaculo Exod. 29, 7. 30, 22 — 33. Lev. 8, 10 — 13. legimus; quare in descriptione dedicati templi Salomonis et Zerubabelis, etsi non memoratur, nihilominus, ut aliunde notissima, intelligitur.

Versus ergo hic 24tus complectitur responsum divinum ad preces Danielis, nimirum, elapsis illis, a Jeremia praedictis, et nunc ad finem vergentibus 70 annis poenam praevaricationum et peccatorum (nempe captivitatem) finiendam, dimissionem Hebraeorum in patriam secuturam esse, et templum restitutum iri. Qui aliter interpretantur, nexum antecedentium cum hoc versu solvunt, et eloquio divino tribuunt sensum, qui a precibus Danielis, quae sunt et esse debent materia huic eloquio substrata, prorsus alienus est.

Dan. 9, 25.

וְתֵדַע וְתַשְׂכֵּל scito autem et animadverte. Primum Vau praefixum esse adversativum, contextus docet; nam, cum in praecedentibus de fine captivitatis actum sit, nunc e contrario agitur de sorte, quae populo et urbi Jerusalem temploque restaurato, aliquando tempore longius remoto obtinget. Hebraei quidem reduces urbem et templum restituent, sed post longius temporis intervallum alia priori similis eversio sequetur. Daniel itaque provocatur, ut animum ad sequens vaticinium de futuris temporibus intentius advertat.

מִן מֹצָא דָבָר לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלַם עַד מָשִׁיחַ נָגִיד ab emanatione sententiae, ut rursus aedificetur Jerusalem usque ad unctum (inauguratum) principem. — מֹצָא vel מוֹצָא exitus (a יָצָא exivit) etiam de emanatione decretorum usurpatur, Num. 30, 13. Deut. 23, 24. Ps. 89, 35. Jer. 17, 16. — הֵשִׁיב reduxit, et etiam rediit

Ps. 85, 4. Ezech. 14, 6. 18, 30., IV. a שׁוּב *reverti*; junctum Verbo alteri, subit vicem Adverbii, uti recte vertit Vulgatus: *ut iterum aedificetur*; inepte autem Theodotio τȣ ἀποκριθῆναι, notio enim respondendi huic contextui repugnat. — Quae sit haec sententia vel decretum, ut rursus aedificetur Jerusalem, permagnus est interpretum dissensus; nos, regulis hermeneuticae arcte inhaerentes, dicimus, aliam esse non posse, quam sententiam Cyri seu decretum 2 Paral. 36, 22 — 24. Ezr. 1, 1 — 4., quo hic rex Mehestanus, quod Daniel non exspectabat, concessit, seu potius mandavit, ut, quicunque Jehovam, Deum coeli, colunt, in patriam revertantur, et *Jehovae Jerosolymis templum aedificent*. Primam hanc urbis restitutionem clare indicat phrasis לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת *ad rursus aedificandum*, uti et illud, quod versu 24 praecessit de unctione seu dedicatione adyti templi, aliam interpretationem non admittit. Reliqua decreta regum Persarum, Judaeis faventia, ut Darii Hystaspis, Xerxis, et Artaxerxis Longimani, a materia, huic divino eloquio substrata, a restitutione urbis et templi, nimis remota sunt, et sine vi huc trahi non possunt. Nec urgeat quisquam, *aedificare urbem*, orientalibus esse *munire*, et Jerusalem demum, permittente Artaxerxe Longimano, per Nehemiam fuisse moenibus circumdatam; nam aedificatio urbis hoc loco eundem temporis terminum indicat, qui v. 24. per unctionem seu dedicationem templi designatus fuit, et ultimo membro hujus v. 25. diserte explicatur, non de moenibus, sed de plateis et angi-

portibus, ut nullum remaneat dubium, de decreto illo Cyri esse sermonem, quo restitutio templi et urbis mandata fuit. — Quis autem sit ille inauguratus princeps, מָשִׁיחַ נָגִיד, paulo post erit dicendi locus; id modo monendum, falli recentiores interpretes, qui נָגִיד transferunt victor, et conferunt نَجِيد; nam hoc nomen Arabicum nunquam victorem, sed animosum, fortem, et etiam moestum, significat; Verbum نَجَدَ praeter alia notat quidem superavit, vicit, quasi dicas, clarum fecit, suam caussam fuisse justam; nam نَجَدَ proprie significat clara, manifesta fuit res; argumentis comprobavit seu manifestum reddidit; hinc Hebraeis הִגִּיד est annunciavit, quasi dicas clarum fecit; ex his autem deduci nequit, نَجِيد esse victorem, siquidem usu loquendi comprobari non potest. Vox Hebraica נָגִיד in Bibliis satis frequens est, ast nunquam de victore, sed ubique de praefecto, duce vel principe, et vel maxime de rege usurpatur, ut 1 Sam. 9, 16. 10, 1. 13, 14. 2 Sam. 6, 21. 7, 8. 1 Reg. 1, 35. 14, 7. 16, 2. 1 Paral. 11, 2. 2 Paral. 6, 5. Ezech. 28, 2.; atque vel ideo, quia vox plerumque regem designat, eandem notionem etiam nostro loco tuebitur eo majori jure, quia alius quiscunque praefectus non dicitur. מָשִׁיחַ.

שָׁבֻעִים שִׁבְעָה וְשָׁבֻעִים שִׁשִּׁים שְׁנַיִם hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae (erunt). Si puncta שָׁבֻעִים in v. 24, ut supra pluribus

comprobavimus, erronea sunt: idem etiam de duplici שָׁבֻעִים hujus loci statuendum est; nam redeunt pleraque argumenta supra allata, et inprimis illud, quod hebdomades annorum in censum non veniebant, nisi raro in tribunalibus, et in oeconomicis et sacris rebus, ut intelligi non possint, nisi diserte aut saltem aliquo clariori nutu indicentur, qui hoc loco desideratur. Ambiguae quoque essent ipsae hebdomades hae sine ullo indicio, an de hebdomadibus annorum simplicium, an vero annorum sabbathicorum intelligendae sint, quale aenigma a Daniele, cujus alias laudatur claritas, prorsus aliena est. Paucis, numeri v. 25. de remotiori tempore futuro, oppositi sunt numeris v. 24. de 70 annis captivitatis ad finem vergentibus; sicut ergo v. 24. de annis 70 sermo est, ita etiam v. 25 de annis sermo esse debet, ut ratio oppositionis constet; quare repetita vox שָׁבֻעִים punctis שִׁבְעִים instruenda, et, ut v. 24., ellipsis שָׁנָה supplenda est. Id amplius confirmatur per antiquissimum interpretem Alexandrinum, qui v. 25. et 26. de hebdomadibus nil novit; numeros ex v. 25 et 26. trajectos quidem exhibet in v. 26 et 27., et alia quoque quaepiam membra disjecta et etiam intrusa sistit: numeros tamen sine ulla hebdomadum mentione conservavit, imo v. 27. (in Hebr. 26.) post ἑβδομηκοντα habet καιρϋς, et post ξβ habet ετων, ut hebdomades disertis verbis excludat, uti etiam codex 1 de Rossianus ex seculo XIII. pro שָׁבֻעִים שִׁבְעָה habet שִׁבְעִים שָׁנָה. Suspicio itaque minime vana est, vocem hebdomades etiam v. 24. in versione Alexandrina non ab ipso interprete descendere, sed

ab alia manu fuisse ex ἑβδομηκοντα detortam, postquam enunciatio שָׁבֻעִים jam fuisset ex Kabbala adoptata.

Quare verba haec enuncianda erunt: שִׁבְעִים שִׁבְעָה וְשִׁבְעִים שִׁשִּׁם שְׁנַיִם septuagies septem, et septuaginta, sexaginta duo, nempe erunt anni. — שִׁבְעִים שִׁבְעָה valere septuagies septem seu 490, patet ex Gen. 4, 24. conf. et Prov. 24, 16. et Ps. 119, 164. Nec quemquam moveat, quod ante שִׁבְעָה et שִׁשִּׁם desit Vau praefixum; saepe enim intelligendum relinqui, permultis exemplis docet Noldius in Concord. Partic. p. 311 — 317. — Alexandrinus quidem textui Hebraico non per omnia consentit; nam v. 26. (Hebr. 25.) habet: *και μετα ἑπτα και ἑβδομηκοντα και ἑξηκοντα δυο*; et v. 27. (Hebr. 26.) *και μετα ἑπτα και ἑβδομηκοντα καιρȢς και ξβ ετων*; ast in utroque loco mendum librarii, ex ὁμοιοτελευτῳ ortum, mox in oculos incurrit: scriptum nempe erat *μετα επτακις ἑβδομηκοντα, και ἑβδομηκοντα, ἑξηκοντα δυο*, ubi librarius, postquam primum *ἑβδομηκοντα* scripsisset, oculo respiciens aberravit in alterum *ἑδομηκοντα*, et id se jam scripsisse ratus, subjunxit *και ἑξηκοντα δυο*, omisso *και εβδομηκοντα*. Alius dein *κις* in *ἑπτακις* mutavit in *και*, et ita prodiit moderna lectio codicis Chisiani. Error primum in v. 27. (Hebr. 26.) commissus fuit, et deinceps versus 26 ab alia manu versui 27 conformis factus est, prout patet ex Praepositione *μετα*, quae una cum hac

depravatione ex v. 27. in v. 26, ad quem non pertinet, translata fuit *).

Tres igitur sunt periodi annorum: I. septuagies septem, seu 490 anni; II. 70 anni, et III. 62 anni. Haec partitio totius summae 622 annorum, in tres periodos vel classes, fatentibus omnibus interpretibus, eo consilio facta videtur, ut finis cujuslibet periodi notetur aliquo facto historico insignis; alias enim simpliciter 622 anni numerati fuissent. Jam consulenda est historia, quid in fine cujuslibet periodi annorum memoratu dignum referat, quod tamen nequaquam ita premendum erit, ut factum hoc historicum, quod quaerimus, requiratur unicum et singulare, aut unico anno absolutum, vel ultimo praecise periodi anno contigerit. Si vaticinia alia quaecunque non sunt narrationes historicae omnibus adjunctis vestitae, sed tenues aut, si magis placet, crassae, non undequaque defini-

---

*) Operae pretium fuerit v. 26 — 27., seu Hebr. 25 — 26., verbotenus adducere: 26. Και μετα ἑπτα και ἑβδομηκοντα, και ἑξηκοντα δυο ἀποσταθησεται χρισμα και ȣκ εσται, και βασιλεια εθνων φθειρει την πολιν και το ἁγιον μετα τȣ χριϛȣ, και ἥξει ἡ συντελεια αυτȣ μετ' οργης, και ἑως καιρȣ συντελειας απο πολεμȣ πολεμηθησεται. 27. Και δυναστευσει ἡ διαθηκη εις πολλȣς, και παλιν επιϛρεψει, και ανοικοδομηθησεται εις πλατος και μηκος, και κατα συντελειαν καιρων· και μετα ἑπτα και ἑβδομηκοντα καιρȣς, και ξβ ετων ἑως καιρȣ συντελειας πολεμȣ, και αφαιρεθησεται ἡ ερημωσις εν τῳ κατισχυσαι την διαθηκην κ. τ. λ.

tae, in multis vagae adumbrationes futurorum: etiam in numeris annorum adcurata definitio, aut temporis omnimoda determinatio, ut nullus annus desit aut abundet, nec exspectanda nec postulanda est, imo neque fieri potuit, cum chronologia admodum incerta sit, et chronologi, tam antiqui, quam recentiores, diversos numeros annorum computent, qui omnes non possunt esse simul veri, et probabilius nullus genuina veritate nititur, ut computus annorum Danielis, alicui chronologo per omnia conveniens, jam ideo jure suspectus haberi possit. Quanta autem sit de hoc ipso spatio temporis, de quo Danielis vaticinium agit, chronologorum discordia et chronologiae incertitudo, vel ex eo satis patet, quod Josephus Fl. de B. Jud. VI. 4, 8. annos a condito templo Salomonis usque ad excidium per Titum ultra centum plures, a restituto autem templo post exilium usque ad ~~ejusdem~~ ~~excidium~~ per Titum, triginta tres, vel potius quadraginta octo annos numeret plures, quam recentiores chronologi *). — His praemissis monitionibus audiamus hi-

*) Joseph. de B. J. VI. 4, 8.: και απο μεν της πρωτης κτισεως, ἡν κατεβαλετο Σολομων ὁ βασιλευς, μεχρι της νυν αναιρεσεως, ἡ γεγονεν ετει δευτερῳ τηςΟυεσπασιανȣ ἡγεμονιας, ετη συναγεται χιλια ἑκατον τριακοντα προς δε μηνας ἑπτα και πεντεκαιδεκαι ἡμεραι. απο δε της ὑστερον, ἡν ετει δευτερῳ Κυρȣ βασιλευοντος εποιησατο Αγγαιος, ετη μεχρι της τȣ Ουεσπασιανȣ ἁλωσεως, τριακοντα εννεα προς ἑξακοσιȣς και ἡμεραι τεσσαρακοντα πεντε.

storiam, juxta chronologiam in Biblica Archaeologia propositam, semper memores, etiam hanc ab erroribus non esse immunem.

	Ante Christ.
Edictum Cyri 2 Paral. 36, 22 — 23. et Ezrae 1, 1 — 4.	536
Subtractis annis septuagies septem . . .	490
	46

Incidit itaque finis primae periodi annorum 490 in annum 46, vel si primum et ultimum annum demas, 48 ante Christum, quo utroque anno historia Judaeorum nihil insigne refert; verum cum Josephus, ut supra monuimus, a restituto templo usque ad excidium per Titum numeret 33 vel 48 annos ultra eos, quos nos computamus: huic anno 46 vel 48 non est necessario insistendum. Historia refert, anno 64 vel 63 ante Chr. Pompejum cepisse Jerusalem, et abolita dignitate regia, Hyrcanum constituisse principem gentis; anno 54 ante Chr. exortis novis motibus, principatum gentis a Gabinio abolitum, aristocratiam inductam, et Hyrcano solum sacerdotium relictum fuisse; denique anno 44 ante Chr. Hyrcano a Caesare redditum fuisse principatum. Conf. meam Bibl. Arch. II. Th. I. B. §. 109. S. 532 — 536. §. 111. S. 541 — 545. §. 113. S. 560 — 561. Hac via Judaei, amissa libertate, subjecti fuerunt Romanis, et id coepit 64 vel 63 anno ante Chr. Id quidem abunde sufficit; si autem ulterius progredi lubet, facile in annum 64 vel 63 ante Chr. devehemur; si nempe ex illis annis, quos Josephus a restituto templo usque ad excidium plures numerat, 17 vel 15 transferamus in istud tempus usque

ad Pompejum, et eos addamus illis 46 annis supra computatis, habemus, si postulatur, annum 63 ante Christum, quod tamen in tanta chronologiae incertudine non est necessarium. — Prope etiam ad hunc annum accederemus, si sumere placeret annos lunares; verum qui hos sumunt, vanum praetextum quaerunt, quia anni lunares non numerabantur, sed per menses intercalares ad annos solares reducebantur. Sufficiat hanc annorum periodum in hac chronologiae ambiguitate aliquo modo in illud tempus desinere, quo imperium Romanorum in Judaeos inchoavit, et ita rebellio illa, quae templo excidium attulit, eminus praeparata fuit.

Sequentes 70 anni, additi illi 63tio anno ante Christum, desinunt in annum 7mum vel 8vum post Christum, et anno 9 vel 10 ethnarcha Judaeorum Archelaus relegatus, ac Judaea in formam provinciae Romanae redacta fuit, atque ita Judaei plene subjecti fuerunt Romanis, ut etiam census de illis ageretur, qua occasione Judas Galilaeus prima secuturae aliquando rebellionis semina sparsit, quae primum quidem lente progerminarunt, ast progressu temporis magis excreverunt, et denique fructum tulerunt amarissimum, Joseph. Archaeol. XVII. 13, 1—5. de B. J. II. 8, 1. Conf. meam Bibl. Archaeol. II. Th. II. B. §. 123. S. 79 — 80. §. 124. S. 80 — 81.

Anni, qui restant, 62, ab anno 8 vel 9 Christi computati, excurrunt in annum 70 vel 71, quo Jerusalem per Titum capta et eversa est, et demum duobus sequentibus annis reliquiae belli exstinctae fue-

runt. Conf. meam Bibl. Archael. II. Th. II. B. §. 134 — 160. S. 127 — 198.

Haec annorum computatio, minus adcurate definita, sed vaga et ambigua, non solum incertitudini et ambiguitati chronologiae, sed etiam crassis vaticiniorum adumbrationibus adprime convenit, et nullam verbis Prophetae vim infert. Qui annos hos subtilius inquirunt, fere similes videri possunt illis, qui Ezech. 5, 1 — 4 — 17. investigarent, num revera tertia pars incolarum Jerusalem fame et peste, tertia pars gladio perierit, et tertia denique pars reliqua dispersa, et nihilominus partim gladio insequente consumta fuerit; aut an Ezech. 28, 1 — 16. Aegyptus reapse quadragesimo anno vires recuperaverit, nec unicus desit aut abundet annus.

Ex dictis jam liquet, inauguratum illum principem, de quo supra locuturos nos esse promisimus, non esse alium, quam Messiam Jesum, qui eversionem Jerosolymorum constanter sibi tribuit, et per Romanos in opus deduxit, Matth. 24, 27. Marc. 13, 14. Luc. 21, 20. et a. l. Conf. Nisbett's Versuch einer Erläuterung einiger wichtigen Stellen in den Briefen der Apostel. Nürnberg 1790. Atque ita convenit vaticinium cum Malachia praedicente, Messiam judicem severissimum fore Judaeorum, perditurum inprobos, et vastaturum esse regionem. Quodsi Articulum ante מָשִׁיחַ נָגִיד, quo insignis ille inauguratus princeps, seu Messias, designandus esset, desideres: meminisse oportet, in recentiori Hebraismo leges Grammaticae

non raro negligi, cujus jam v. 24. in רָזֹּן et נָבִיא exempla vidimus.

תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה רְחוֹב וְחָרוּץ וּבְצוֹק הָעִתִּים rursus aedificabuntur plateae et angiportus, et quidem in angustia temporum, seu afflictis temporibus. — תָּשׁוּב revertetur, ut supra v. 25. לְהָשִׁיב, venit pro Adverbio rursus, iterum, ut Vulgatus vertit. — רְחוֹב est I. forum, area ad januas urbis spatiosa, in qua erant nundinae, et etiam alias multitudo populi congregabatur, uti seculo 17 Ispahami area Meidan dicta, quam in Bibl. Arch. I. Th. I. B. §. 50. S. 242 — 243 descripsi, conf. 2 Paral. 32, 6. Neh. 8, 1. Ezr. 10, 9. Jud. 19, 15 — 20. Deut. 13, 16 — 17. Gen. 19, 2.; vox convenit cum رَحْبَةٌ et رَحَبَةٌ area ampla, subdiale spatiosum pec. templi alteriusve loci; dein II. etiam platea latior, in qua currus vehi poterant, Thr. 2, 11. Zach. 8, 4. Cant. 3, 2., a רָחַב = رَحُبَ et رَحِبَ spatiosus, amplus, commodus fuit. Haec platea latior h. l., et quidem collective intelligenda est, siquidem aedificatur, quod de area dici non potest. — Difficilius est, veram vocis חָרוּץ notionem hoc quidem loco definire, ubi postulante materia substrata pars urbis indicatur. Theodotio vertit τεῖχος, quem secutus est Vulgatus, qui reddit muros, quos vox significare non potest. Melius quidem, sed nimis vage, Syrus ܦܠܛܘܬܗ plateae ejus; interim teneamus plateas, quae contextui conveniunt, et qua ratione a רְחוֹב distinguendae sint, postea videbimus.

Recentiores fere omnes, quos quidem inspexi, vertunt fossam aut vallum, collato Chaldaico חָרִיץ, quod tamen potius aquae ductum, quam fossam aut vallum significare, jam docuit Buxtorfius Lex. Chald. Thalm. Rabb. col. 833., et, qui eum secutus est, Michaelis in Suppl. ad L. H. p. 951 — 953. Collata fuerunt Verba خَرَصَ, حَرَصَ et حَرِصَ, ex quibus tamen nihil probabile extundi poterat; quare modestior Michaelis, ut etiam Gesenius, anceps haesit. Contextus autem proximus, ut mihi quidem videtur, veram vocis notionem satis clare innuit; nam si רְחוֹב, uti ostendimus, est platea latior, quid aliud sequenti mox voci, quae, per Conjunctionem Vau, priori nexa est, subesse potest, quam platea angustior, seu angiportus? Id modo quaeritur, an חָרוּץ ex etymologia angiportum significare possit, atque id conficitur ex collato خَرَطَ non solum decorticavit, dolavit pec. torno, sed etiam in longum efformavit, unde مُخَرَّطٌ longa et angusta barba vel facie praeditus; VII. اِنْخَرَطَ gracilis fuit corpore, hinc חָרוּץ esse potest, quod contextus postulat, longa et angusta platea seu angiportus, de quo dixi in Bibl. Arch. I. Th. I. B. §. 50. S. 240 — 241. His adde, utrumque hoc platearum genus, etiam Graecis nominibus πλατειαι και ῥυμαι, satis esse celebre, et saepius ab antiquis memorari, uti Sirach. 9, 7. Luc. 14, 21. Vers. Alexandr. Jes. 15, 3. ubi in Hebr. חוּצוֹת opponuntur רְחוֹבוֹת conf. et Act. 9, 11. 12, 10. et Vitruvii. L. I. c. 6. Alexandrinus,

qui saepius ad notiones vocum Arabicarum respicit, veritati satis propinquus fuit, eum vertit: *οικοδομηθησεται εις πλατος και μηκος*, quibus verbis fortasse ipsas plateas latas et angustas longas spectaverit, etsi non clare expressit. Ceterum רְחוֹב וְחָרוּץ esse collectiva et pluraliter vertenda, facile intelligitur. — צוֹק angustia, pressura; tantum h. l. obvium, a צוּק, quod duntaxat Job. 28, 2. 29, 6. notione fundendi occurrit; alias, praesertim in IV., angustiavit, et angustus fuit, ut Aram. עוּק et Arab. ضَاقَ med. Je. — Sermo est de tempore mox post reditum ex captivitate, seu de initio illorum 490 annorum, quo Jerusalem restaurata, et templum restitutum fuit, non sine diversis, quae a Samaritanis objecta sunt, impedimentis, et non sine magna facultatum contentione, i. e., in angustia vel pressura temporum, conf. Ezr. 3, 1 — 6, 11. Neh. 7, 1 — 10, 40. et meam Bibl. Archaeol. II. Th. I. B. §. 51 — 61. S. 231 — 268. Ex his rursus patet, quod supra attigimus, non esse sermonem de decreto Artaxerxis Longimani, quo munitio urbis concessa fuit, sed de decreto Cyri, quo restaurationem urbis, ejusque platearum et angiportuum, et restitutionem templi permisit, aut potius mandavit.

Dan. 9, 26.

וְאַחֲרֵי הַשָּׁבֻעִים שִׁשִּׁים שְׁנַיִם post hebdomades autem sexaginta duas. Jam supra ad v. 25. ostendimus, nequaquam de hebdomadibus, sed de annis, quos Alexandrinus h. l. diserte exprimit, esse sermonem, quare, cum hic eaedem voces repe-

tantur, enunciandum est ut v. 25. הַשָּׁבֻעִים septuaginta, et vertendum: post illos septuaginta, sexaginta duos, nempe annos, quos jam supra computavimus. Alexandrinus, qui hos numeros habet v. 27., simul ex versu praecedenti repetit ἑπτά, quod ex ἑπτάκις ortum esse, et huc minime pertinere, jam ad v. 25. docuimus.

יִכָּרֵת מָשִׁיחַ exscindetur unctus, seu inauguratus, qui sine controversia, postulante contextu, est ille ipse, qui v. 25. dictus fuit מָשִׁיחַ נָגִיד, et paulo post dicetur נָגִיד. Si autem hae tres denominationes, uti contextus clare ostendit, designant unam eandemque personam: inepta profecto sunt puncta יִכָּרֵת; repugnant enim sequenti mox verbo יַשְׁחִית destruet, vastabit, adeoque non solum vivit, sed etiam permagna molitur et agit; nam etsi יַשְׁחִית refertur ad populum venturum, hic ipse tamen populus statuitur esse populus hujus inaugurati principis, et ipse hic princeps ponitur esse illius populi imperator, ut ipsius sit opus, quod populus exequitur, adeoque vivit, et permagna patrat opera. Quapropter nisi contextui repugnare velis, enunciandum erit יַכְרֵת vel יַכְרִת exscindet, cui synonymum est sequens יַשְׁחִית destruet, vastabit; utrumque Verbum etiam alias de excidio usurpatur. Hoc excidium urbis paulo post pluribus describitur. — Prorsus arbitrarie, et etiam sine ullo respectu ad contextum vertit Alexandrinus: ἀποσταθήσεται χρίσμα, et Theodotio: ἐξολοθρευσεται χρισμα, quod

מָשִׁיחַ nunquam significat, et sensus hic sequentibus repugnat.

וְאֵין לוֹ et non ipsi, vel ipsius, intellige erit, ex quo rursus liquet, membro praecedenti unctum nequaquam sisti posse excisum, hic quippe manifeste adhuedum vivus est. Ellipsis a diversis interpretibus suppletur diversis modis, pessime a recentioribus, qui interpretantur de successore excisi uncti, et id trahunt ad pontificem Oniam III., de quo in Bibl. Arch. II. Th. I. B. §. 93. S. 402 — 407. plura dixi. Notio successoris, unico Substantivo expressa, Hebraeis deest; ellipses autem non habent locum nisi in notionibus et dictionibus frequentiori usu tritis, quas lector ex usu loquendi familiares habet, et facile supplere potest. Talis autem minime est vox successor, sed vox populus in frequentissima phrasi: eritis mihi populus vel in populum; non erit mihi populus, non erit ei vel ejus populus, Deut. 4, 20. 7, 6. 14, 20. 29, 13. 26, 18. 28, 9. Exod. 6, 7. Lev. 26, 12. 1 Sam. 12, 22. 2 Sam. 7, 23. 2 Reg. 11, 17. et a. l. Igitur post אֵין לוֹ non erit illi vel illius supplendum est עַם populus, ut jam olim Vulgatus vertit: non erit ejus populus; addere autem non debuisset: qui eum negaturus est, quod nec in Hebraeo neque in ulla antiqua versione legitur. Eandem ellipsim offendemus infra Zach. 9, 7. Sensus ergo est: jam populus non erit ei sacer, qui urbem et templum evertet. Quemadmodum Hos. 1, 8 — 9. legitur: nam vos non eritis populus meus, vel eri-

certum populum determinatum est, ideoque Articulum ante Participium suum deposcit. Venturus principis populus aptissime designat Romanum exercitum, eo tempore adhucdum prorsus ignotum, et non facile alio modo designandum, quo demum Jesus, ad dexteram Dei exaltatus et divinae gubernationis particeps, ad eversionem urbis usus est. Ceterum sensus quidem non mutatur, sive vertas urbem et sanctuarium, sive per hendiadin urbem sanctam; fatendum tamen erit, hendiadin minime esse necessariam. Ceterum observari velim, illius principis inaugurati, qui vastaturus est urbem et sanctuarium, dici non fore jam populum, nempe Hebraicum, hunc autem fuisse populum Dei vel legati illius divini, de quo alibi plura diximus, adeoque tacite eminens et divina hujus principis inaugurati dignitas innuitur.

וְקִצּוֹ בַשֶּׁטֶף et finis ejus in inundatione.— קִצּוֹ, a קֵץ finis, rei extremum, etiam de fine regnorum Dan. 8, 17., et de vastatione regionis Hebraeorum dicitur, Ezech. 7, 2—6. Thren. 4, 18. Amos 8, 2 Radix קָצַץ scidit, praescidit, amputavit, cui convenit قَصَّ resecuit palum, comminuit rem, et قَطَّ secuit per latum vel transversum. — שֶׁטֶף inundatio Ps. 32, 6., a שָׁטַף inundavit, immersit; شَطَفَ lavit, abiit, abfuit, deflexit; longius recedit Syr. שְׁטַף fidit. Beth praefixum videtur esse, ut dici solet, Beth essentiae, quod inprimis Arabes ante praedicatum frequentant, de quo

in Gramm. L. H. §. 118. p. 405. nro. 17. plura dixi; itaque vertendum: finis ejus erit inundatio, nempe tropice, ingens calamitas et vastatio; nam שֶׁטֶף dicitur etiam de eruptione vel impetu irae Prov. 27, 4., et de irrumpentibus hostibus Nah. 1, 8., quos Daniel etiam c. 11, 22. inundationi comparat. Syrus vertit: וַחרתֹה בַגרופיֹא et extremum ejus erit in inundatione, vel in vastatione, utrumque enim vox significat. Alexandrinus tropice de ira intellexit: ἡ συντελεια αυτȣ μετ᾽ οργης. Theodotio omisso קִצּוֹ habet solum: εν κατακλυσμῳ Vulgatus tropum sustulit: finis ejus erit vastitas, quae est effectus inundationis. Qui ex Rabbinica dialecto Verbi שָׁטַף notionem festinandi in antiquiorem Hebraismum rapiunt, et vertunt in festinatione, nullo idoneo argumento id evincere possunt; nam Jer. 8, 6.: סוּס שׁוֹטֵף בַּמִּלְחָמָה, ad quod provocant, multo aptius vertitur: equus irrumpens in praelium; et loca Jes. 10, 22. Dan. 11, 10., quae porro allegant, notionem festinandi minime postulant; quare usitatae notioni nostro loco eo firmius inhaerendum, quo magis congruum contextui sensum fundit: finis ejus, nempe eversio fiet praevalente hostium irruptione, quae similis erit inundationi omnia vastanti, et aedificia eluenti secumque abripienti.

וְעַד קֵץ מִלְחָמָה נֶחֱרֶצֶת שֹׁמֵמוֹת et usque ad finem belli erit excidium vastum. — נֶחֱרֶצֶת Participium foem. formae VII. substantive in statu constructo usurpatum, in absoluto נֶחֱרָצָה,

ut mox seq. versu 27 et Dan. 11, 36. ac Jes. 10, 22 — 23. 28, 22., quo utroque loco legitur: כָּלָה וְנֶחֱרָצָה consummatio et excidium, i. e., omnimoda vastatio. Si statueris, esse statum absolutum, pertinebit ad מִלְחָמָה, et vertendum, usque ad finem belli decisi, de quo paulo post dicemus.— חָרַץ = حَرَصَ fregit caput, fidit cutem, laceravit tundendo vestem fullo; propinquius est حَرِضَ et حَرَضَ exitio proximus fuit, periit amore vel moerore. — שֹׁמֵמוֹת Participium foem. substantive usurpatum: vastationes, constructum cum praecedenti, Adjectivi vices subit: vastum; et utrumque conjunctum idem valet ac כָּלָה וְנֶחֱרָצָה, quod, supra adductum, per hendiadin est consummatum, seu plenum excidium, omnimoda vastatio. Alii tribuunt vocibus נֶחֱרָצָה et נֶחֱרֶצֶת notionem decisionis vel decreti, quam petunt a حَرَصَ, quod praeter reliqua etiam significat divinavit, et ab interprete Arabe 2 Reg. 17, 17. adhibetur pro μαντεύειν, קָסַם, et 2 Reg. 16, 6. pro κληδονίζειν, עוֹנֵן; hinc locum nostrum vertunt decisio vastationum, nempe vastitates decisae et quasi fato decretae. Verum id totum nimis artificiosum, ideoque suspectum est; etsi Verbo חרץ notio decidendi ex 1 Reg. 20, 40. vindicari possit, transferenda tamen ad nostrum locum non est, in quo alia est materia substrata et alius contextus. Male ergo vertit Vulgatus: et post finem belli statuta desolatio; Syrus: et usque ad extremum belli senten-

tiae desolationis; Theodotio: *και ἑως τελȣς πολεμȣ συντετμημενȣ ταξει αφανισμος.* Admodum negligenter Alexandrinus: *ἑως καιρȣ συντελειας απο πολεμȣ πολεμηθησεται.*

Dan. 9, 27.

וְהִגְבִּיר בְּרִית לָרַבִּים שָׁבוּעַ אֶחָד nam consolidabit foedus multis hebdomas una. Sententia, quacunque ratione explicetur, admodum ambigua. Primum mox dubium movetur, quis sit Nominativus, an inauguratus ille princeps, an Deus, an שָׁבוּעַ אֶחָד, an vero בְּרִית, ut interpretatus est Alexandrinus, qui duplicem versionem exhibet. v. 27. *και δυναστευσει ἡ διαθηκη εις πολλȣς*, et: *εν τω κατισχυσαι την διαθηκην*, ita quidem masculinum הִגְבִּיר discordat a foeminino בְּרִית, quod a syntaxi Hebraea non prorsus quidem alienum est, neque tamen ideo sine ratione approbandum. Vulgata, prout typis edita est, Nominativum intelligit Deum, vel, si mavis, unctum illum principem; vertit enim: confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ. Theodotio Nominativum facit שָׁבוּעַ: *και δυναμωσει διαθηκην πολλοις ἑβδομας μια*; atque ita etiam Syrus: וַנְעַשֵּׁן דִּיהִיקֵי לְסַגִּיאֵא שָׁבוּעָא חַד et roborabit foedus multis hebdomas una; atque ita omnino vertendum est, quia Prophetae persaepe tempori tribuunt, quod illo tempore futurum est aut agetur, cujus exemplum aliud mox in membro sequenti videbimus. — Dein Vau praefixum Vulgatus reddit adversative autem, contextus vero aperte reclamat notionem caussatem; redditur enim ratio, cur usque ad finem belli futurum

sit omnimodum excidium. — Demum הִגְבִּיר in IV. non occurrit nisi Ps. 12, 5., ubi fraudulenti adulatores, se omnibus dominari, gloriantur, dicentes: לִלְשֹׁנֵנוּ נַגְבִּיר, quod Rosenmüllers in Schol. vertit: propter linguam nostram robusti sumus, quod nec loco nostro, nec ipsi etiam Ps. 12, 5. congruit, nihilominus a Gesenio in lexicon translatum est, attamen non sine dubitatione, an non etiam Ps. 12, 5. supplendum sit בְּרִית, quod, ex Bertholdi Daniele p. 666. mutuatum, substratae materiae minus convenit, nam foedus cum lingua, placere vix potest; quod autem praecipuum est, observari velim, הִגְבִּיר בְּרִית raram esse phrasin, in qua ellipsis locum non habet, ut supra monuimus. Quidquid autem sit, locus Ps. 12, 5. non est nostro similis; nam cum לִלְשֹׁנֵנוּ praecedat Verbum, vertendum omnino est: quantum ad linguam nostram attinct, praevalemus; similem literae praefixae Lamed usum vide Gen. 31, 43. Num. 18, 17. Jos. 22, 10. Jud. 21, 2. 1 Sam. 9, 10. Ezech. 10, 13. Nostro autem loco verbum praecedit, et Lamed voci postpositae רַבִּים praefixum exprimit Dativum Verbi; quare vertendum est: consolidabit multis, aut si mavis respicere ad IV. Arab. اجبر invitum adegit, erit versio: ad foedus adiget invitos multos, quod tamen adoptare non est necesse. — שָׁבוּעַ אֶחָד hebdomas una; haec est illa hebdomas, quae seduxit antiquos Judaeos, Kabbalae studiosos, ut etiam in numeris, qui versibus 24 — 26. praecesserunt, hebdomades quaererent, et eis arcanam septem annorum

notionem, repugnante licet cotextu, obtruderent, sicut supra ostendimus. Ast שָׁבוּעַ, hoc loco constanter plene scriptum, non est hebdomas annorum, quae Hebraeis nequaquam adeo familiaris fuit, ut sine adjecto שָׁבוּעַ hebdomas annorum diceretur aut intelligeretur; quare eo minus in Daniele, vergente ad finem exilio, in quo prorsus non erat usitata, et fere in oblivionem abierat, exspectanda est. Ne autem quis urgeat, numerum אֶחָד oppositum esse majoribus numeris praecedentibus, ideoque etiam illos, uti hanc unitatem, de hebdomadibus esse intelligendos, monendum censeo, etsi aliunde omnibus notum est, in Daniele vocem אֶחָד, more Aramaeorum frequenter pro Articulo vel Pronomine indefinito **aliquis, quidam**, venire, ut Dan. 8, 3. 13. 10, 5. 13. 21. 11, 27. 12, 8., et vertendum esse **hebdomas quaepiam**, nempe ordinaria, quae 7 diebus absolvitur.

Hanc hebdomadem Dathius cum Hassencampio censet esse illam, a morte et resurrectione Christi insignem; verum haec, etsi insignis hebdomas, a serie orationis et a substrata materia aliena est; nam praecedentia et consequentia agunt de bello Romano, et de eversione et vastatione Jerosolymorum, cui mentio mortis et resurrectionis Christi interseri non potest, inprimis cum nullum in hac orationis serie adsit indicium, quo haec celeberrima hebdomas innuatur. Contextus exigit, ut haec hebdomas de aliqua septem dierum periodo initio belli contra Romanos intelligatur, atque haec sedulis Josephi Flavii lectoribus se ipsa offert, observata tamen hucusque non fuit, quia

interpretes fixam habebant sententiam, hoc foedus respicere religionem, ut de nefario foedere rebellium, licet de his sermonem esse manifestum est, prorsus non cogitarent. Paucis, haec hebdomas est illa periodus dierum, qua, ut narrat Josephus de B. J. II. 16, 1 — 5. et 17, 1., primis a Floro data opera excitatis tumultibus vix sopitis, seditiosi occuparunt Masadam, et simul antistes templi Eleazar, filius Ananiae pontificis, Jerosolymis persuasit sacerdotibus et Levitis, ut munera et victimas ethnicorum rejicerent, quibus Josephus de B. J. II. 17, 2. subjicit: τȢτο δε ην τȢ προς Ρωμαιȣς πολεμȣ καταβολη, την γαρ ὑπερ τȣτων θυσιαν καισαρος απερριψαν. Haec dierum periodus, qua sacerdotibus et Levitis haec innovatio, et ita bellum contra Romanos persuadebatur, nec alii saniora consulentes, ut narrat Josephus de B. J. II. 17, 3 — 4., quidquam proficiebant, opposita illis 490, 70 et 62 annis, apte dicitur hebdomas, qua nefarium foedus rebellionis multitudini firmatum fuit. Ex hoc enim tempore, ut porro refert Josephus de B. J. II. 17, 5 — 6., seditiosi studiosos pacis templo excludebant, et aperta vi et armis oppugnabant. Quodsi desideras septem dierum periodum, etiam hanc offert Josephus; concludit enim de B. J. II. 17, 5.: ἑπτα μεν ȣν ἡμερας συχνος αμφοτερων (seditiosorum et pacificorum) φονος εγενετο, et observat, seditiosos, qui templum et urbem inferiorem occupabant, multo superiores fuisse pacificis, qui in urbem superiorem compulsi, et paulo post expugnati sunt, atque ita foedus seditionis firmatum fuit.

וַחֲצִי הַשָּׁבוּעַ יַשְׁבִּית זֶבַח וּמִנְחָה et dimidium istius hebdomadis cessare faciet seu abolebit victimas et ferta. Syrus hoc dimidium hebdomadis inepte jungit hebdomadi praecedenti, Alexandrinus autem exprimit finem hebdomadis, neuter tamen aliter legisse videtur. Tempori tribui, quod eo tempore futurum erat, recte observarunt interpretes antiqui, excepto Syro, sed verterunt modo linguae suae congruente; Alexandrinus: *εν τῳ τελει της εβδομαδος αρθησεται θυσια και σπονδη* (מִנְחָה non est *σπονδη*, libamen, sed fertum); Theodotio: *τῳ ἡμισει της ἑβδομαδος αρθησεται μου θυσια και σπονδη*; Vulgatus: in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium. — זֶבַח victima, et מִנְחָה fertum, collective usurpari, per se intelligitur. — Hanc victimarum, ad quas ferta spectabant, cessationem mox supra ex Josepho retulimus; verum non sola munera ethnicorum et ipsius caesaris rejecta fuerunt et cessarunt, sed reliqua etiam sacrificia, exclusis saniora sentientibus, offerebantur, et quantum ad hos attinebat, cessabant, ne dicam, etiam sacrificia illa a seditiosis et sicariis, pessima hominum perditissimorum colluvie, oblata hoc nomine digna censeri non posse. Josephus de B. J. II. 17, 6. hac de re scribit: *τῃ δε ἑξης* (die nempe illa post septem dierum pugnam) *των ξυλοφορων ἑορτης ουσης* (14 Loi, fere Julii,) … *τους μεν διαφορους της θρησκειας εξεκλεισαν*, et eadem hac die latrones hi et sicarii, qui templo excludebant dissentientes, eos etiam ex urbe superiore ejecerunt, multos interfecerunt, et incen-

sis tabulariis, et creditorum instrumentis concrematis, debitores magno numero sibi adjunxerunt. Conf. meam Bibl. Arch. II. Th. II. B. §. 135. S. 127 — 133. — Erunt fortasse, qui dicant, hanc dierum periodum a Josepho de B. J. II. 17., 5. non dici hebdomadem, sed septem dies, ἑπτα μεν ουν ἡμερας, et non dimidio hebdomadis victimas et ferta gentilium rejecta, et pacificos a ritibus religionis fuisse exclusos; ast meminerint, quod jam saepius monuimus, nec nimis saepe repeti posse videtur, vaticinia non esse narrationes historicas aut tabulas rerum aliquando gerendarum, sed adumbrationes crassas et obscuras, et delineationes personarum et rerum futurarum parcas et imperfectas, quae demum rebus in ordine temporum gestis illustrantur, perficiuntur et complentur.

וְעַל כְּנַף שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם denique super alam abominationum erit vastans vel vastator. Affatim, ut opinor, liquet, Vau praefixum hoc loco valere demum, denique, ut Lev. 4, 12. 20. 20, 22. 24, 21. Num. 4, 15. 34, 28. Deut. 6, 9. 8, 13. 12, 3. 17. 14, 6. 22. conf. Noldii Concord. Partic. p. 286. — כְּנַף Alexandrinus, Theodotio et Vulgatus enunciarunt in statu absoluto כָּנָף, et vertunt επι το ἱερον, Vulgat. in templo; sequens שִׁקּוּצִים junxerunt in statu appositionis cum מְשֹׁמֵם, quod Alexandrinus et Theodotio in Genitivo vertunt: βδελυγμα ερημωσεων, et similiter Vulgatus: abominatio desolationis; itaque Participium מְשֹׁמֵם verterunt tanquam substantivum abstracti vel actionis, in quo illis assentitur Syrus, qui Alexandrinum con-

suluit, retinet tamen constructionem Hebraicam, vertit enim: וְעַל כַּנְפֵּיה דְטַנְפּוּתָא חַבְלָא et super alas contaminationis, vel abominationis erit exitium, seu vastatio. — שִׁקּוּצִים omnes antiqui interpretes recte judicarunt esse pluralem magnitudinis, verteruntque in singulari. Difficultas est in כנף. Contextus et substrata materia docet, hanc vocem spectare vel ad templum, vel ad exercitum. Si templum respicit, cum antiquis interpretibus in statu absoluto כָּנָף pronunciandum est, et designatur certa pars templi, hoc nomine compellata; monendum tamen est, etsi in recentiori Hebraismo non sit magni ponderis, deesse Articulum, quem definita pars templi requireret; dein dubium movet non leve, quod in frequentiori per Biblia mentione templi, nunquam memoretur haec templi pars, quae tamen debuisset esse insignis, ut hoc nomine sine adjecto indicari posset; denique nullus hucusque definire potuit, quaenam pars templi intelligenda sit; nam quod adferri solet, πτερυγιον Graecis etiam pinnam vel loricam aedificii significare, et esse adjectum templo aedificium, velut Scholion ad Aristophan. Av. 1110. explicat, τας των ἱερων στεγας, πτερα και αετυς καλυσι, ad Hebraeos transferri vix potest, de quorum templo, templis Graecorum nequaquam simili, vox כָּנָף nunquam occurrit. Vox haec Hebraeis quidem et Aramaeis praeter alam, significat quoque oram et extremitatem, et Arabibus etiam latus; verum hac notione nullum praebent lumen. A longe petitum et aucte-

ritate usus loquendi destitutum est, si ex كَنَفَ cinxit, sepsit, custodivit, deduxeris sepimentum vel murum templi, quem seditiosi occupaverunt. Denique, si כְּנַף est status absolutus, sequens appositio Numero diversa, שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם, non est satis commoda; locus autem Dan. 11, 31. nostro similis non est; habet enim eodem Numero et quidem cum Articulo הַשִּׁקּוּץ מְשֹׁמֵם. Quare retinendus omnino est status constructus כְּנַף, et junctus sequenti vertendus: super alam abominationum seu abominabilem, nempe super abominabilem exercitum seditiosorum et latronum, qui merito nomine abominabilis insignitur; erat enim, uti a Josepho Fl. describitur, sceleratissima hominum perditissimorum colluvies. Nomen autem כָּנָף ala, Hebraeis etiam de exercitu, aut de cornu exercitus dici, apparet ex Jes. 8, 8., ubi exercitui, sub imagine inundationis, tribuuntur מֻטּוֹת כְּנָפָיו extensiones alarum ejus, uti quoque אֲגַפִּים, collato Aramaeo גַּף, alae, de exercitu occurrunt Ezech. 12, 14. 17, 21. 38, 6. 9. 22. 39, 4. Dubia, quae Michaelis in Suppl. ad L. H. p. 16. movit, an אֲגַפִּים non sint potius brachia, dissipantur per usum loquendi Aramaeum, quo גַּף de ala dicitur; et si Syriacum גַּף etiam de mensura deductis brachiis comprehensa, usurpatur: ipsa extensa brachia alis comparantur; imo et radix جَفَّ non tantum est congregavit in unum, sed in II. جَفَّفَ etiam alas motitavit avis ovis incubans, et

جُفّ et جُفَّة rursus est **agmen, caterva**. Denique de foedere sicariorum mox praecessit sermo, quare contextus flagitat, ut etiam nostrum hoc membrum de iisdem, nempe de exercitu eorundem, intelligatur. Sensus itaque est: abominabili exercitui, cui hebdomas quaepiam firmavit foedus, superveniet vastator. Ita quoque aetate Jesu explicabatur; nam quod Matth. 24, 15. Marc. 13, 14. legitur βδελυγμα ερημωσεως, Luc. 21, 20. dicitur στρατοπεδον, seu exercitus; nam etsi h. l. de exercitu Romano sermo est, abominatio tamen desolátionis permutatur cum exercitu. — Si forte cuiquam placeat, urgere verba Jesu Matth. 24, 15. Marc. 13, 14. το βδελυγμα της ερημωσεως, meminerit, Jesum nequaquam haec verba, quae sunt interpretis Alexandrini, sed verba nostra Hebraica, in dialectum, quam loquebatur, Aramaeam versa protulisse.

Ut autem appareat, hunc exercitum rebellium, nota **abominabilis** insignitum, facile cognosci posse, juverit adscribere verba Josephi Fl. de B. J. IV. 6, 3.: „et ab illis quidem omne jus humanum con„culcabatur, divina autem deridebantur; et prophe„tarum oracula, ut praestigiatorum commenta, sub„sannabant; multa autem illi de virtute et vitio vati„cinati sunt, quae isti Zelotae cum secure violarent, „effecerunt, ut prophetia, quae adversus patriam fue„rat concepta, exitum suum sortiretur. Vetus enim „**virorum sermo quidam erat, tum urbem** „**captum iri, et loca sancta jure belli** „**conflagratura, ubi seditio invaserit**, et

„indigenarum manus polluerint sacrum „Deo-locum. Quibus licet fidem non detraherent, „ipsi tamen se earum rerum ministros praebuerunt." Josephus porro de B. J. VII. 8, 1. scribit: „erat enim „quodammodo illud tempus sceleris apud Judaeos „foecundissimum, ut nullum malitiae negotium infec„tum relinqueretur, neque si quis cogitatione aliquid „sibi fingere voluisset, novi quidpiam invenire po„tuerit. Ita et privatim et communiter omnes vitio la„borarunt, ut exsuperare alius alium tam impietate in „Deum, quam iniquitate in proximos certarent, poten„tes quidem multitudinem male tractando, multitudo „vero ad potentium interitum properando. Et primo „quidem sicarii iniquitatis auctores erant et crudeli„tatis in proximos; neque verbum ullum, quod non „dixerint ad injuriam, neque facinus, quod non ten„tarint ad exitium eorum, quibus insidiarentur, prae„termittentes. Verum et hos Johannes semet mode„ratiores esse ostendit; non solum enim omnes inter„ficiebat, qui justa et utilia suadebant, tanquam ini„micissimos, maxime cives ejusmodi impetens, sed „et patriam communiter malis innumeris cumulavit, „qualiter facturus erat homo, qui Deum quoque „jam ausus esset impietate contemnere..... „Rursus igitur Simon Giorae, quid mali non commi„sit? quave corporum liberorum ab injuria tempera„vit, qui eum creaverunt tyrannum? Quae vero „eos amicitia, quaeve cognatio ad quotidianas caedes „non ferociores effecit? nam alienos quidem male „tractare, timidae nequitiae esse opus arbitrabantur,

„gloriosam vero ostentationem esse crudelitetem in „familiarissimos existimabant. Horum autem furoris „aemuli Jdumaei exstitere; illi enim sceleratissimi, „cum pontifices jugulassent, ne qua pars conserva„retur pietatis in Deum, totum, quod ex civitatis fa„cie supererat, abscidere, summamque per omnia „iniquitatem induxerunt, in qua illud hominum genus, „qui Zelotae appellati erant, excellebat, qui nomen „factis verum probaverunt. Omne enim malitiae faci„nus aemulati sunt, nullo, quod ipsi non imitando „expresserunt, relicto, quodcunque ante commis„sum esse, memoriae proditum erat; quamvis no„men sibi ex bonorum aemulatione indidissent, in „eos aut cavillati, quos laeserant, propter efferam „sui naturam, aut malorum maxima pro bonis haberi „volentes." Cum his conferantur, quae infra ad c. 11. Zachariae producentur Josephi Fl. testimonia.

וְעַד כָּלָה וְנֶחֱרָצָה תִּתַּךְ עַל שֹׁמֵם et usque ad consummatum excidium effundetur super vastum vel super vastitatem, nempe ira divina seu poena. — וְעַד Dathius exponit: et in perpetuum; ast haec notio vocis עַד, nunquam in initio, sed constanter in fine sententiae usitata est. — כָּלָה וְנֶחֱרָצָה consummatio et excidium, hendiadis pro consummato seu pleno excidio, conf. dicta ad vers. 26. — תִּתַּךְ adfuit supra v. 11., ubi Nominativus adjectus erat הָאָלָה וְהַשְּׁבֻעָה maledictio et imprecatio, seu calamitates et poenae, quas jurans sibi imprecatur, quae etiam nostro loco intelligendae sunt, sicut et alias huic Verbo addi-

tum legitur חמה, ira, seu poena divina. Syrus et Vulgatus verbum hoc contra analogiam grammaticam derivarunt a חוך manere, quiescere; ille enim vertit: תתניח quiescet, et hic: perseverabit; Alexandrinus et Theodotio confuderunt cum נתן, ac si esset a תת, cum suffixo תתך, et sensum exprimunt per δοθήσεται. — שמם proprie Participium, vastatus, desolatus Jes. 49, 8. 61, 4. Thren. 1, 4. 13. Ezech. 36, 4.; hinc et nostro loco verti posset super vastatum; quia autem Dan. 8, 13. et 12, 11. substantive usurpatur, etiam nostro loco melius vertitur super vastitatem vel vastum.

Versio Dan. 9, 24 — 27.

Sensus itaque hujus eloquii divini his fere verbis exprimi poterit:

„Septuaginta, septuaginta" (illi, a Jeremia 24
exilio praefixi anni, de quorum fine precatus es, v. 2, 17 — 20.) „super populum tuum et urbem „tuam decurrunt, quibus elapsis (captivitas, haec) „praevaricationum et peccatorum poena termi-„nabitur et finietur, ac iniquitates" (quae hanc castigationem meruerunt) „expiatae erunt, „redibitque illa antiqua, a poena immunitas" (qua Hebraei olim tranquilli in patria sua habitabant) „atque illud vaticinium Prophetae" (Jeremiae, Dan. 9, 2.) „complemento, quasi sigllio „veritatis obsignatum, comprobabitur, et tem-„plum restitutum ungetur" (seu dedicabitur.

Quod autem ulteriora tempora concernit) „scito 25
„et animadverte, a tempore decreti, ut Jerusalem
„rursus aedificetur, usque ad unctum principem
„fore septuagies septem, et septuaginta, sexaginta
„duos" (annos). „Aedificabuntur quidem rur-
„sus plateae et angiportus, sed in angustia tem-
„porum. Post illos autem septuaginta, sexa- 26
„ginta duos (annos) unctus evertet urbem et jam
„non erit ejus (populus); nam venturus princi-
„pis populus vastabit urbem et templum, et finis
„ejus irrumpet instar inundationis, et usque ad
„finem belli excidium vastum erit. Nam conso- 27
„lidabit foedus multis hebdomas quaepiam, et
„dimidio hebdomadis abolebuntur victimae et
„ferta. Denique contra abominabilem exercitum
„(aderit) vastator, ac usque ad plenum excidium
„effundetur (supplicium) super vastitatem."

Expositio Dan. 9, 24 — 27.

Quemadmodum Dan. 9, 24. elapsis illis, a Jeremia captivitati praefixis annis 70, promittitur urbi Jerusalem et templo restitutio: ita elapsis aliis 490, 70, 62., i. e. 622 annis Dan. 9, 25 — 27. alia eidem praedicitur eversio per venturum uncti principis seu inaugurati regis populum. Haec eversio et vastatio, quae disertis verbis plena et consummata dicitur, opponitur illi per Nebucadnezarem excidio, cujus finis et restitutio tum adpropinquabat; id unum statuitur tacite discrimen, quod illi priori excidio diserte promissa fuit restitutio, huic autem postremae eversioni nulla fit spes restitutionis. Eversio itaque haec

postrema non tantum, sicut prior, plena, sed etiam perpetua erit. Hinc liquet, stragem, ab Antiocho Epiphane Jerosolymis et in Judaeos editam, huc prorsus non spectare; haec enim non erat eversio urbis et templi, sed persecutio colentium Jehovam, et profanatio templi, quae post tres annos et sex menses felici exitu terminata fuit, cum nostrum vaticinium e contrario plenam eversionem et urbis et templi praedicit, et omnia sine spe relinquit vasta et desolata, ac ipse quoque populus rejicitur, ut jam non sit populus illius inaugurati principis, qui omnia vastabit. Taceo, hanc interpretationem de Antiocho Epiphane sumere hebdomades annorum, quae non solum, ut ostendimus, invito contextui obtruduntur, sed etiam mirum in modum torquentur, et jam retrorsum, jam antrorsum, prout nempe lubet, computantur. Quod Bertholdus contendit, numeros non posse nisi de hebdomadibus annorum exponi, non est nisi repetitum inventum Judaeorum Kabbalae studiosorum, a quibus antiquissimum interpretem Alexandrinum, saltem ex parte alienum esse vidimus. Accedit, quod numeri, ut vidimus, facillima ratione de annis explicari possunt. — Ex eo autem, quod Eichhornius urget, nullum aliud libelli hujus vaticinium ultra Antiochum Epiphanem progredi, profecto concludi nequit, neque in c. 9. longinquiorem esse prospectum, nisi forte etiam verba עַם נָגִיד הַבָּא, מָשִׁיחַ נָגִיד, מָשִׁיחַ, קֹדֶשׁ קָדָשִׁים et alia similia expungere placuerit, quia alibi in Daniele non occurrunt. Denique confectum non est, Dan. 7, 13 — 14. alium promitti quam Messiam. Ma-

net itaque firmum, de alia longe remotiore et plena et perpetua eversione, nempe de eversione urbis et templi per Romanos esse sermonem.

Vaticinio Malachiae, ut supra vidimus, praefinitur venturus Dominus templi, legatus, qui olim cum Hebraeis foedus pepigit, et a Judaeis eo tempore desiderabatur, adeoque Messias, qui Judaeos inprobos, per praecursorem praemonitos, sed non emendatos, acerbissimis suppliciis perdet, et regionem penitus vastabit. Haec de secundo invisibili Jesu, majestate divina induti, adventu agere ostendimus. Invisibilis Messias regionem utique per alium quemcunque populum vastabit. His ad amussim respondet vaticinium Danielis 9, 25 — 27., ubi princeps, seu rex inauguratus praedicitur per populum venturum eversurus et penitus vastaturus urbem Jerusalem et templum, et ipsum quoque populum rejecturus, ut jam non sit ejus populus. Hic rex est Jesus, qui per resurrectionem a mortuis et ascensionem in caelum inauguratus est, et eversionem urbis, uti in Malachia ostendimus, perpetuo sibi tribuit. Ipsa etiam divina dignitas hujus regis tacite innuitur, cum dicitur: et jam non erit ejus populus; Hebraei enim erant populus Jehovae. In utroque igitur hoc vaticinio omnia sunt aequalia, nisi quod Malachias, ultimus Prophetarum, divinam Messiae dignitatem apertius asserit, et caussam vastationis, inprobitatem Judaeorum, diserte adfert, quam Daniel ex oppositione eversionis per Nebucadnezarem ob scelera Hebraeorum, lectori colligendam relinquit, sed e contrario

tempus usque ad hanc tristem rerum conversionem definit, de quo silet Malachias. De Messia debellatore gentium in Daniele, uti in Malachia, altum est silentium, quod rursus monuisse proderit, ne perpetuo nobis occlametur, Prophetas promittere Messiam Judaicum seu debellatorem et victorem gentium.

Ex hac nostra interpretatione hujus vaticinii liquet, sustineri non posse, quod non pauci contendunt, libellum Danielis ab ignoto quodam auctore post aetatem Maccabaeorum conscriptum, et historiam antiquiorem more Prophetarum adumbratam fuisse. Cum haec opinio per ipsum hoc vaticinium affatim refutetur, aliis argumentis eam expugnare nolui, ne tractatio in nimiam molem excresceret.

Zach. 9, 1 — 11, 17.

Vaticinium Zachariae c. 9 — 11., quod in Introd. in LL. V. F. P. II. §. 161. p. 678 — 683 ed. Germ. huic Prophetae vindicavimus, adumbrat, ut ibidem diximus, c. 9, 1 — 8. irruptionem Alexandri in Syriam, manum militum missam Damascum, expugnationem Tyri, qua durante Arabes, qui hic nomine regionis Chadrach appellantur, per ipsum Alexandrum victi sunt; porro sistit occupationem Zidonis et urbium Philistaeae, qua occasione, ut parenthesis, c. 9, 7. interponitur promissio, Philistaeae incolas aliquando verum Deum culturos esse. Dein continuatur argumentum, saevientibus nempe illis exitiosis tumultibus bellicis templum Jerosolymitanum, quod tum (anno 520 — 514 ante Chr.), agente Zacharia et Haggai, aedificabatur, nequaquam, ut in bello Nebu-

cadnezaris, dirutum iri, c. 9, 8. Huic terribili bellatori (Alexandro), a cujus disturbationibus Deus templum suum intactum et incolume conservabit, oppositum eminus in prospectu prophetico cernit Zacharias c. 9, 9 — 10. regem justum, afflictum, salvatum tamen, pacificum, ab omni bello alienissimum, Messiam, cui autem c. 9, 11 — 10, 12. mox subjunguntur, quae ejus adventum praecedeut, bella Judaeorum cum Graecis in Syria aetate Maccabaeorum, et demum c. 11. interna Judaeorum dissidia, tumultus et dissolutiones in bello cum Romanis, in quibus sibi ipsis relicti peribunt; idipsum est, quod supra vidimus revelatum fuisse Malachiae sub ratione supplicii, quo Judaei inprobi per Messiam exterminabuntur, et regio vastabitur; et Daniel quoque aperte ut atrocissimum bellum annunciat, quo Messias, per populum venturum, Jerusalem et templum in perpetuum evertet, a quibus Zachariae vaticinium c. 11. tantum eatenus differt, quod Messiae non disertam mentionem facit. Ordinem, quo haec sese consecutura essent, Zacharias in optico prospectu et longinquo non ubique discernere potuit; hinc Messiam Alexandro opposuit, et inter bella hujus praeliorum cupidi herois, et victorias Maccabaeorum, medium inseruit. Conf. 1 Petr. 1, 10.

Quae modo diximus cuilibet, qui mente est integra, nulla praejudicata opinione ducitur, historiae mediocriter gnarus, ac in dignoscendis et perspiciendis adumbrationibus propheticis exercitatus est, abunde quidem sufficiunt; plura tamen dicenda sunt, quia Pau-

lusius in Exegetisch. Kritisch. Comment. über das N. T. III. Th. S. 113 — 134., qui manibus omnium teritur, vaticinium Zach. 9, 1 — 10, 1. in aetatem Johannis Hyrcani (regis Judaeorum ab a. 135 — 106. ante Chr.) rejecit, ut auctor ignotus post expugnatas urbes, Madebam, Samegam aliasque, atque etiam post dirutum anno 129 ante Christ. templum Samaritanorum *), imo post eversam quoque 110 ante Chr. Samariam, haec omnia scripserit, et antiquiora Maccabaeorum felicia bella more prophetarum adumbraverit, quibus Johannem Hyrcanum ad novas contra Chadrach, Damascum, Tyrum et Zidonem expeditiones excitaret, cui autem Hyrcanus non obtemperaverit, quia exceptis bellis (profecto et magnis et non paucis) pacem coluit, quare etiam, ut rex pacificus, generoso asino vectus sistatur. Haec hypothesis, potissimam partem ex paraphrasi Chaldaica mutuata, non tantum gratis sumta est, sed repugnat quoque historiae et contextui orationis, ut modo ostendemus.

I. Quae in nostro vaticinio de Aschkalone, Aschdodo seu Azoto, Ekrone seu Akkarone, et Gaza dicuntur, non spectare, ut opinatur Paulusius, ad diversas Maccabaeorum expeditiones, quibus Philistaea subacta, et colonis Judaeis oppleta fuit, perspicuum

*) Templum Samaritanorum in monte Garizim ad meridionalem plagam urbis Sichem, aedificatum fuit a Sanaballat circa annum 410 vel 400 ante Christum. De omnibus his fusius egi in Bibl. Arch. II. Th. I. B. §. 104. S. 477 — 490.

est unicuique, qui observaverit, capta et exusta Tyro urbes Philistaeorum perterritas in consternationem conjici, de qua adquisita urbe, quam Johanne Hyrcano promitti fingit Paulusius, nequaquam animum despondissent, sed laetati fuissent incolae illarum Philistaeae urbium, quippe jam dudum erant Judaei, Hyrcano subjecti, 1 Macc. 10, 84 — 89. 11, 58 — 60. 12, 33 — 43. 16, 11. 76.

II. Lector, nulla opinione praeoccupatus, non videre non potest, nequaquam de pluribus expeditionibus, sed de unica esse sermonem, qua capitur Chadrach, Damascus, Zidon et Tyrus, atque hac ultima expugnata, incensa et eversa contremiscunt et animis concidunt urbes Philistaeae, et demum occupantur. Exercitus venit ex Syria, in littore maris progreditur in meridiem per Phoenicen et Philistaeam, et demum rursus revertitur; templum autem Jehovae Jerosolymis, medias inter strages singulari Dei providentia nec evertitur, nec oppugnatur, sed salvum manet. Quis historiae non ignarus dubitet, expeditionem Alexandri, per Syriam in littorte maris tendentis in Agyptum, et rursus revertentis, adumbrari? De pluribus diversis expeditionibus Maccabaeorum nullum vel minimum vestigium occurrit; sed de expeditione Alexandri plura eminentia adjuncta memorantur, quae in quocunque alio bello frustra quaeres.

III. Tyrus et Zidon c. 9, 3. a sapientia laudantur, et Tyri praeterea divitiae et munimenta celebrantur, ut Ezech. 28, 4 — 5., quod de aetate Alexandri lectoribus Arriani L. II. c. 15 — 22., Curtii L. IV.

c. 2 — 15., et Diodori Siculi L. XVII. c. 40. planissimum est; ast aetati Johannis Hyrcani convenire, nullo veterum testimonio probari potest. Nam etsi Tyrus, etiam post cladem, ab Alexandro ipsi illatam, restaurata, teste Strabone Geogr. p. 787. celebris fuerit urbs, a Diodoro Siculo XVIII. 37. XIX. 58. 87. XX. 61 — 62. quoque laudata: antiquam tamen famam sapientiae, divitiarum et munimentorum recuperare non potuit, ex quo Alexandria in Aegypto sedes commerciorum, artium et scientiarum facta erat. Id negari etiam ab obstinato nequit, artes, scientias, seu ut antiqui uno verbo dicebant, sapientiam, atque divitias et munimenta Tyro aetate Alexandri, in insula sitae, et moenibus altissimis, fere ex mari assurgentibus cinctae, ac artibus et commerciis florenti, multo aptius convenire, quam Tyro post Alexandrum restauratae, in qua non erat nisi umbra aliqua antiqui illius splendoris relicta.

IV. Aschdodi seu Azoti c. 9, 6. habitabit ממזר, quod, quacunque ratione explicetur, ignominiosum incolis est nomen; verum si sermo esset, ut vult Paulusius, de occupatione urbis per Maccabaeos, incolae, uti in aliis per Hasmonaeos captis urbibus, fuissent Judaei, quos auctor quiscunque nequaquam probroso nomine notasset; Alexander autem in hac urbe, uti in urbe Samaria, fortasse reliquerit foecem veteranorum militum, qui hoc nomine notari merebantur. Si succincta et majoribus insistens historia Alexandri rem hanc exigui momenti silentio premit: ne-

mo profecto requirere, et ne mirari quidem quisquam potest.

V. Gaza aetate Johannis Hyrcani, teste Josepho Fl. Arch. XIII. 13, 3., a senatu regebatur, ut non potuerit Zach. 9, 5. privari rege, quem non habebat; ast aetate Alexandri, satrapa, more Persarum comitatu regio cinctus, stilo poetico rex compellari potuit, et in historia sub nomine Betis a singulari fortitudine et miserrimo exitu celebratur.

VI. Si hoc vaticinio Hyrcanus ad novas expeditiones bellicas contra Chadrach, Damascum, Tyrum et Zidonem excitari debuit: non potuit auctor quiscunque hunc eundem principem, qui aliunde multa alia bella gesserat, ut Paulusius contendit, c. 9, 9 — 10 adeo magnifice a pace celebrare; nam ad bella excitare principem, qui alia jam plura atrocia bella gessit, et laudare simul eundem pacificum, repugnat, aut quid laudatio pacifici ad excitationem ad bella?

VII. Denique haec, omni ex parte incommoda, hypothesis interpretem in eas angustias redegit, ut pluribus dictionibus vim inferret, ne, quae historiae et sibi mutuo repugnant, lectorem nimis moverent, uti mox videbimus, integrum enim vaticinium jam interpretabimur.

Zach. 9, 1.

מַשָּׂא דְבַר יי בְּאֶרֶץ חַדְרָךְ eloquium sententiae Jehovae in regionem Chadrach. — מַשָּׂא male Hieronymus vertit onus, fortasse quia Aquilam secutus, vel a Judaeis magistris ita edoctus

fuit; nam Chaldaeus quoque vertit מַטַּל, onus. Vox מַשָּׂא non tantum onus et portationem oneris, sed etiam eloquium, sententiam, prolationem sermonis significat, et saepe de vaticiniis et eloquiis divinis adhibetur; hinc Hebraei Jer. 23, 33 — 38. ambiguitati hujus vocis mordaciter illudunt. נָשָׂא non solum est tulit, portavit, sed etiam protulit sermonem Exod. 23, 1. Num. 23, 7. 18. 24, 3. 15. 20 — 21. 23. Hos. 1, 6. 13, 1. Jes. 42, 2., et hinc מַשָּׂא eloquium Prov. 31, 1. 2 Reg. 2, 25. Zach. 12, 1. et a. l. Haec vaticiniorum inscriptio מַשָּׂא דְבַר יי sequente Praepositione עַל, אֶל vel בְּ adhiberi solita fuit post exilium, et occurrit non tantum nostro loco, sed etiam Zach. 12, 1. Mal. 1, 1.; ante exilium autem מַשָּׂא usurpabatur cum Genitivo urbis, regionis aut populi, ad quem eloquium spectabat, ut Jes. 13, 1. 15, 6. 17, 1. 19, 1. 21, 1. 11. 22, 1. 23, 1. 30, 6. Nah. 1, 1., excepto unico loco Jes. 21, 10., qui vero et ipse dubius est. Hoc eloquium divinum calamitates denunciat; quare in regionem Chadrach, idem valet ac contra regionem Chadrach, quae hucusque quidem est regio incognita, eam tamen hoc nomine exsistere, et ad orientem Damasci sitam esse, testis adest Rabbi Jose, qui a R. Salomone et Davide Kimchio refertur dixisse vel scripsisse: coelum et terram contestor, me ex Damasco esse, et reperiri illic locum, cujus nomen est Chadrach. Urbem hoc nomine etiam Theophylactus, natione Syrus, qui itaque illas regiones novit, memorat: Αδραχ πολις εστι της Αραβιας, nempe

Arabiae desertae. Denique Syrus Josephus Abassi 1768 testatus est J. D. Michaelis, audivisse se in sua patria de urbe Chadrach, eam esse nunc quidem parvam, sed fuisse olim Damasco majorem et metropolim regionis Chadrach; nobiles ex ea ortas familias ferri, et Arabes narrare multa de ejus regibus et principibus, Michaelis in Suppl. ad L. H. p. 676 — 679. Itaque Chadrach erat urbs et regio ad orientem Damasci in Arabia deserta, cujus incolae Arabes incursionibus adeo turbarunt oppugnationem Tyri, ut Alexander ipse cum expedita militum manu contra eos profectus, partem Arabiae desertae occuparit, ut narrat Arrianus in Exped. Alex. L. II. c. 20., Curtius L. IV. c. 8., et Plutarchus in Alexandro XXIV. p. 285. T. IV. ed. Hutten. Recte igitur, non solum Syrus interpres, qui regiones illas novit, Nomen ut proprium, retinuit, quod autem per Koph scribit חַדְרַק, sed etiam Vulgata habet H a d r a c h; auctor enim ejus, Hieronymus, qui multos annos Bethlehemi commoratus est, et, ut ipse profitetur, Palaestinam geographiae caussa peragravit, dubio procul regionem Chadrach saltem fando novit. Alexandrinus levi mutatione, forte a librariis inducta, exhibet Σεδραχ. Schleusnerus in opusculis crit. 1812. p. 445., quae his jam scriptis inspexi, refert, in codice Barberiniano, Cyrillo et editione Aldina reapse legi Αδραχ, et adducit Hieronymi verba: A d r a c h, e t n o n, u t m a l e a q u i b u s d a m l e g i t u r, S e d r a c h. Chaldaeus vero ineptit: בְּאַרְעָא דָרוֹמָה i n r e g i o n e m a u s t r a l e m. — Paulusius violenter מַשָּׂא sejungit a דְּבַר,

et vertit: effatum: jussio Jehovae; ein Ausspruch: Jehova's Befehl soll geltend werden über das Land Chadrach. Id est, quod dici solet, sensum inferre, non efferre. Dictio 'מַשָּׂא דְבַר יי Zach. 12, 1. recurrit, ubi haec vocum interpunctio locum habere nequit; unde patet, eam etiam nostro loco gratis sumi.

וְדַמֶּשֶׂק מְנֻחָתוֹ et Damascus est requies ejus, nempe illius sententiae divinae. Ita, teste Theodoreto, Aquila: και εν Δαμασκῳ αναπαυσις αυτου. Vulgatus jungit praecedentibus: in terra Hadrach et Damasci requies ejus; sensus quidem non mutatur, incongrue tamen ita jungitur. — Alexandrinus et Syrus enunciarunt מִנְחָתוֹ, quod ille male reddit θυσια, hic autem קוּרְבָּנָא oblatio. Hos secutus est Michaelis, sed retulit מִנְחָתוֹ ad Alexandrum, ut Damascus sit donum seu donata illi, nempe Alexandro, quod a longe petitum est; nulla enim praecessit mentio illius, cui donata esset. — Chaldaeus vertit: וְדַמֶּשֶׂק תְּתוּב לְמֶהֱוֵי מֵאֲרַע בֵּית שְׁכִנְתֵּיהּ et Damascus convertet se (ad Deum), ut sit de terra majestatis ejus, nempe sit pars terrae sanctae, in qua residet majestas Jehovae. Hunc secutus est Paulusius, et suffixum retulit ad Jehovam, ut Damascus agnoscens et colens demum Jehovam, dicatur requies Jehovae, et, quasi id ferret usus loquendi, provocat ad Ps. 95, 11. Hebr. 4, 3.; ast in his locis requies Jehovae, non est locus, ubi Jehova requiescere dicitur, sed locus quietis, quem cultoribus suis concedit. Multo aptius provocasset ad Ps. 132, 8. et

Jes. 66, 1. ubi מְנוּחָתֶךָ quidem de loco quietis Jehovae, reapse tamen de templo, seu loco arcae foederis, super quam cogitabatur thronus Dei, occurrit; haec profecto non praedicitur deferenda Damascum, Chadrachum, Chamatham, Tyrum et Zidonem. — Si res ita se haberet, ut fert haec contorta interpretatio, Damasco promitteretur beneficium, quod repugnat seriei orationis, quae tota est minitabunda, uti et ipsum initium: eloquium sententiae Jehovae in vel contra regionem Chadrach, conf. Zach. 12, 1. Hagg. 1, 1. Jes. 21, 13. Suffixum in מְנֻחָתוֹ appellat, ut quilibet videt, ad מַשָּׂא דְבַר, ut requies sententiae divinae sit Damascus, i. e., sententia divina opere complenda sit etiam Damasci. — Alexander, in Syriam irrupturus, Parmenionem cum expedita militum manu praemisit Damascum, ubi regis Darii thesauri, multae matronae ex prosapia regia, et uxores belliducum cum liberis, custodiebantur. Horum omnium Parmenio per proditorem praefectum Persam potitus est, et ita sententia divina Damasci exitum habuit. Conf. Arrian. Exped. Alex. L. II. c. 15. Curtii L. III. c. 25. Plutarch. in Alexandr. XXIV. p. 284 — 285. ed. Hutt.

כִּי לַיי׳ עֵין אָדָם וְכֹל שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל nam Jehovae est oculus hominum et omnium tribuum Israelitarum. Ab hac versione de verbo ad verbum parum recedit Vulgata. Verum constructio Verbi substantivi expressi vel suppressi cum Dativo personae, supplet Verbum nostrum habere, quo orientales carent; sensus ergo est: Jehova habet

oculum, nempe defixum, ut infra v. 8. dicitur; nunc intuebor oculis meis; non autem, ut Paulusius repugnante usu loquendi detorquet: in Jehovam est oculus. — אָדָם esse collective intelligendum, ex oppositione tribuum Israelitarum liquet; atque phrasim עֵין אָדָם idem valere ac oculus in homines, ipsa orationis series et substrata materia docet; nam de divina gubernatione hominum et populorum sermo est, quod jam perspexit Alexandrinus, qui vertit: *διοτι κυριος εφορᾳ ανθρωπους κ. τ. λ.*, nec multo aliter Syrus: דְלמֹריָא גַלְין בְנַינָשָׁא nam Domino manifesti sunt homines; et Chaldaeus: אֲרֵי קֳדָם יי׳ גְלָן עוֹבָדֵי בְנֵי אֱנָשָׁא nam coram Jehova manifesta sunt opera hominum. Durior quidem est phrasis: oculus hominum, pro oculus in homines; verum nonnihil duriores hujus generis phrases in hoc libello plures occurrunt, ut 1, 7. 8. 2, 12. 5, 11. 7, 2 — 3. 8, 12. 16. 9, 15. 10, 5. 7. 12, 6. Venit scilicet עַיִן pro conspectu, aspectu, ut Exod. 10, 5. 15. Num. 22, 11. Ezech. 1, 4. 16. 22. 26. 8, 2. 10, 6. 9.; et ita Jehova habet oculum hominum, idem est ac: habet conspectum hominum, seu verbo: providet hominibus. — Paulusius mutat אָדָם in אֱדֹם, quia, ut asserit, in toto hoc vaticinio sermo sit de finibus regionis Judaeorum, adeoque et quod hic dicitur, non ad homines universos, sed ad Edomitas, finitimos Judaeis, referendum sit; verum, ut taceam, id nihil aliud esse, quam petitionem principii, et lectionem quoque hanc facilem, si genuina

esset, non potuisse mutari in difficiliorem, id solum moneo, etiam Jer. 32, 20. sermonem esse de Hebraeis et Aegyptiis solis, in quibus Deus olim signa et prodigia edidit, et nihilominus Jeremias Israelitis opponit homines; scribit enim, sicut nostro loco legimus: וּבְיִשְׂרָאֵל וּבָאָדָם et in Israelitis, et in (aliis) hominibus. — Vau praefixum in וְכֹל eandem vim habere ac inprimis; ostendunt alia loca similia, Lev. 22, 13. Num. 31, 6. Jos. 2, 1. 2 Sam. 2, 30. Hos. 7, 1. Joel 3, 11. Jer. 4, 5. Sensus ergo loci hujus est, Dei providentiam esse intentam in omnes homines, inprimis vero in omnes tribus Israelitarum. Ceterum aptissime opponuntur reliqui homines, quos Alexander bellorum cupidissimus, fere omnes commovit, Judaeis, quibus pepercit, et, si Josepho fides est, etiam insigniter favit, conf. meam Bibl. Arch. II. Th. I. B. §. 71. S. 300 — 306.

Zach. 9, 2.

וְגַם־חֲמָת תִּגְבָּל־בָּהּ et etiam Chamath (est requies illius sententiae divinae), quae contermina est ei (Damasco). Obscurius, literae tamen presse inhaerens, Aquila: *και Ημαθ ὁριοθησεται εν αυτῃ*; melius Symmachus: *ετι και εν Ημαθ τῃ ὁμορουσῃ*. Chamath, celebris in V. F. urbs, quae adhuc dum sub nomine حَمَاة superest, in Syria ad Orontem fluvium sub 34° 35′ lat., et regio cognominis, in meridie contermina erat regioni Damascenae seu Damasco sub 33° 30′ latit. Conf. Michaelis Suppl. ad L. H. p. 815. et Spicil. Geogr. Hebr. exter. I.

p. 54. seqq. Hanc regionem Chamath transire debuit Parmenio, ab Alexandro praemissus Damascum; etsi historia de minutiis hujus generis nihil refert, id tamen, quod a Propheta annunciatur, ex loco, ex quo et ad quem Parmenio missus fuit, intelligitur. Paulusius nimium frigide vertit: etiam Chamath contermina erit ei, ac si id ignotum fuisset Judaeis conterminis; non observavit, Relativum אֲשֶׁר, ut alias persaepe, suppressum, intelligendum esse.

צֹר וְצִידוֹן כִּי חָכְמָה מְאֹד Tyrus et Zidon, quae valde sapit, nempe erit requies illius sententiae divinae. — כִּי vim Relativi habet, uti alias persaepe Ps. 25, 6. 11. 90, 4. 2 Sam. 13, 39. 2 Reg. 13, 14. Hab. 2, 8. Prov. 11, 15. 20, 16. et a. l. — Qua ratione Paulusius potuerit sapientiam hanc ad Hebraeos referre, et vertere: quia Israel valde sapit, nemo facile dixerit, siquidem nec de Israel sermo est, neque foemininum חָכְמָה ad aliud, quam ad foeminina nomina urbium Tyri et Zidonis referri, nec facile cum masculino Israel, si suppressum et intelligendum foret, construi potest. Id adeo clarum est, ut omnes antiqui interpretes praedicatum sapientiae retulerint ad Tyrum et Zidonem, nisi quod Chaldaeus חָכְמָה interpretatus est, ut videtur, ex حَكَمَ, quod non solum est sapiens fuit, sed etiam potestatem et imperium exercuit, solide aliquid fecit, unde vertit: אֲרֵי תְקִיפַת לַחֲדָא quia confortata est valde. — Sapientia haec quidem scientias et artes, quae in his Phoenices urbibus ex-

colebantur, inprimis designat, sed occurrunt in historia Alexandri quaepiam, quae fortasse nostro loco simul indicata esse putari possint. Zidon sapienter se Alexandro sponte dedidit; sed rex, quia, a civibus coactus, deditionem fecit, exauctoratus est, et cum Alexander quaereret, quem designaret regem, omnes, quibus regnum detulit, sapienter detrectabant illud suscipere, et interrogati, qui rex creandus esset, commendabant Abdolonymum quemdam, ex antiqua quidem prosapia regia oriundum, sed pauperem, qui labore manuum suarum victum quaerebat, et, cum Alexandro sisteretur, sapientissime respondit, conf. Arrian. Exp. Alex. L. II. c. 15. Curtii Exped. Alex. L. IV. c. 2., et Diodor. Sic. Hist. XVII. 47, qui tamen id sine teste in urbem Tyrum transfert. — Tyrii autem sapientissime se acturos arbitrabantur, si, nondum decisa victoris sorte, omnia quidem ei pro tempore officia praestarent, sed urbe, quae in insula sita erat, belliducem navibus carentem excluderent, quae sapientia, ut diserte dicit Arrianus L. II. c. 16., Alexandro vehementer displicuit; quare oppugnationem Tyri decrevit, et eam superatis omnibus impedimentis, quae aliis insuperabilia videbantur, structo ad insulam aggere cepit, ac, sumta de incolis crudeli vindicta, exussit. Arrian. Exp. Alex. L. II. c. 16 — 23. Curtius L. IV. c. 5 — 15. — Ceterum Chaldaeus, quem sequitur Paulusius, integrum hunc versum, sicut praecedentem, violenter de conversione Chamathitarum, Tyriorum et Zidoniorum ad Deum, exponit:

etiam Chamath convertet se, ut sit de terra domus majestatis ejus (Dei), Tyrus et Zidon, quia confortata est valde.

Zach. 9, 3.

וַתִּבֶן צֹר מָצוֹר לָהּ nam Tyrus aedificat sibi munitionem. Videtur ratio reddi, cur sapientiae laus Tyro non sine ironia tribuatur. Antiqua Tyrus, quam Nebucadnezar expugnavit et evertit, in littore maris sita erat, nova autem dein in insula, a continenti quatuor stadiorum freto divisa, restaurata fuit, et moenia ejus magnis lapidibus, gypso junctis, in ipsis insulae littoribus exstructa, fere ex mari ad altitudinem 150 pedum exsurgebant. Floruit sub imperio Persarum, qui Tyriorum classibus in bellis non raro in rem suam utebantur. Alexandro adventanti naves non erant, et fretum illud adeo aestuosum erat, ut aggeris prorsus impatiens videretur. Arrian. Exped. Alex. L. II. c. 18 — 19. et 22. Curtius L. IV. c. 5. Verum Alexander ruderibus antiquae Tyri in illud maris fretum conjectis, superatis omnibus difficultatibus, aggerem ducentos pedes latum struxit, nihil in contrarium proficientibus Tyriis, qui structurae impedimenta, ingeniose excogitata, frustra objiciebant, et demum non tantum moenia, ubi machinis hostium rupta erant, una nocte restaurarunt, sed etiam intra moenia, quinque cubitorum intervallo in medio relicto, murum alterum, 10 cubitos latum aedificarunt, et vacuum inter utrumque murum spatium ingestis lapidibus et terra compleverunt. Diodor. Sic.

XVII. 43. Arrian. L. II. c. 17 — 22. Curtius L. IV. c. 7 — 15.

וַתִּצְבָּר כֶּסֶף כֶּעָפָר וְחָרוּץ כְּטִיט חוּצוֹת et congerit argentum sicut pulverem, ac aurum sicut lutum platearum. Haec hyperbolice dicta esse, quilibet videt. — צָבַר = ضبر congessit inter se saxa. Tyrus commercio terra marique ingentes divitias corrasit, quas post aedificatam Alexandriam recuperare non potuit. — כֶּסֶף consuetum et unicum est Hebraeis argenti nomen, etiam Aramaeis usitatum; כָּסַף desideravit, expetivit. — חָרוּץ unum ex pluribus auri nominibus, dialectis cognatis ignotum, et nonnisi Ps. 68, 14. Prov. 3, 14. 8, 10. 19. 12, 27. 16, 16. obvium, neque facilem derivationem praebet verbum חָרַץ; fortasse convenit cum χρυσος, ut פִּלֶגֶשׁ cum παλλακις, et לַפִּיד cum λαμπας, ita ut hae duae voces orientales cum pellicibus et lampadibus per Phoenices deportatae sint ad Graecos, et per eosdem vox χρυσος, detorta in חָרוּץ, cum certo auri genere ex Graecia reportata sit in Palaestinam, ubi dein ab Hebraeis etiam latius de quocunque auro usurpata fuerit. Conf. Michaelis Suppl. ad L. H. p. 959. Ceterum versus hic etiam in Praeterito verti potest, si nempe non tempus Prophetae, sed aetatem Alexandri respicias, quam haec jam praecesserant; aptius tamen Praesens convenit.

Zach. 9, 4.

הִנֵּה אֲדֹנָי יוֹרִשֶׁנָּה en! Dominus expellet eam; aut si mavis, evacuabit eam; est nempe continens pro contento, expellet eos, nempe

Tyrios, quorum permulti imbecilles mox initio obsidionis Carthaginem dimissi, et 15000 alii capta urbe a Zidoniis, qui inter Macedonum praesidia erant, in naves deducti et Zidonem devecti sunt. Curtius IV. 11. et 15. Verum non ad hos solos respicitur, sed etiam ad illos 30000, quos Alexander capta urbe vendidit, et ad 8000, qui in obsidione et occupatione urbis interfecti sunt. Arrian. Exped. Alex. L. II. c. 23. Curtius IV. 15. — יָרַשׁ, Aram. יְרַת, Arab. ورث, possedit, adquisivit, in IV. possedit Num. 14, 24. 33, 53. Jos. 8, 7. 17, 12., et possidere fecit, seu possessionem concessit. 2 Paral. 20, 11. Job. 13, 26. Ezr. 9, 12. Jud. 11, 24.; usu autem maxime trita est significatio privativa: possessione expulit, quasi fecit ut alius possideret, hinc simpliciter expulit, prout frequentatur de expellendis et expulsis Canaanaeis, ubi et persaepe cum נָרַשׁ permutatur. Quodsi forte alicui displicet usus hujus Verbi de urbe, opponimus similem usum de inanimatis Job 20, 15., et addimus, Num. 14, 12. manifeste de exstirpatione usurpari: אַכֶּנּוּ בַדֶּבֶר וְאוֹרִשֶׁנּוּ, quod aliter verti non potest, nisi percutiam eum (populum) peste, et exstirpabo eum. Ita vertit Syrus נֵיבְדִיהּ perdet eam; et Chaldaeus: מְתָרֵךְ לַהּ ejiciens (erit, seu ejiciet) eam. Alexandrinus autem adoptavit notionem possidendi vel adquirendi: *δια τȣτο κυριος κληρονομησει αυτȣς*, quem secutus est Vulgatus: ecce Dominus possidebit eam, id tantundem valeret, ac colet Deum, quod autem materiae substratae et contextui repugnat, qui nequaquam de beneficio ali-

quo, sed de malis inferendis agit; atque id nihilominus a Paulusio adoptatum fuit.

וְהִכָּה בַיָּם חֵילָהּ et percutiet in mare robur ejus, i. e., percutiet et praecipitabit, seu uno verbo dejiciet robur seu munimenta ejus in mare, fere ut infra c. 10, 11. dicitur: וְהִכָּה בַיָּם גַּלִּים et dejiciet fluctus in mare. — חַיִל robur, fortitudo, latissimae significationis, nostro loco designat munimenta Tyri, de quibus v. 3. praecessit sermo, et quae aptissime conveniunt sequentibus de incendio urbis. Notio munimenti in חיל satis frequens est, 2 Sam. 20, 15. 1 Reg. 21, 23. Ps. 48, 14. Jes. 26, 1. Thren. 2, 8: An vero vox haec integrum munimentum, an certam ejus partem, et quam, significet, sub judice lis est, quam dirimere nec facile, nec hoc quidem loco necesse est. Syrus vero de divitiis interpretatur: עותרה; et ita quoque Chaldaeus: עַתְרָה; de divitiis quidem in praecedentibus mentio facta fuit, sed nostro loco, et in iis, quae sequuntur, jam non de divitiis, sed de urbe sermo est.

וְהִיא בָּאֵשׁ תֵּאָכֵל et ipsa igni consumetur. Opere pretium fuerit ob sequentia, perscribere, quae de expugnatione et sorte urbis habet Curtius L. IV. c. 16.: „Tyrii tot simul malis victi, alii supplices in templa confugiunt, alii foribus aedium obseratis occupant liberum mortis arbitrium, nonnulli ruunt in hostem, haud inulti tamen perituri. Magna pars summa tectorum obtinebat, saxa, et quidquid manibus sors dederat, ingerentes subeuntibus. Alexander, exceptis iis, qui in templa confugerant, om-

„nes interfici, ignemque tectis injici ju„bet. ..... Quantum sanguinis fusum sit, vel ex eo „aestimari potest, quod intra munimenta urbis sex „millia armatorum trucidata sunt. Triste deinde „spectaculum victoribus ira praebuit regis. Duo mil„lia, in quibus occidendis defecerat rabies, crucibus „affixa per ingens littoris spatium pependerunt." Conf. Diodor. Sic. XVII. 47. Arrian. Exped. Alex. L. II. c. 24. Itaque non ex sola expugnatione urbis, quae videbatur inexpugnabilis, sed etiam ex hac miserrima et terribili ejus sorte ille in urbibus Philistaeorum terror et consternatio orta est, quae in sequenti versu oritura praedicitur.

Zach. 9, 5.

תֵּרֶא אַשְׁקְלוֹן וְתִירָא וְעַזָּה וְתָחִיל מְאֹד וְעֶקְרוֹן כִּי הוֹבִישׁ מֶבָּטָהּ videbit Aschkalon, et timebit; Gaza, et tremet vehementer; etiam Ekron, quia pudefactus erit prospectus ejus, seu spes ejus exstincta erit. Aschkalon, Ekron, seu Accaron et Gaza, principes urbes Philistaeorum, in Tyrum, quae videbatur non posse capi, intentae erant, et exitum oppugnationis ac sortem urbis, anxiae exspectabant, qua demum audita, in summam consternationem conjectae sunt. — Lusus verborum in תֵּרֶא et תִּירָא monitione vix opus habet. — תָּחִיל non est IV. a חוּל, sed I. a חִיל Ps. 96, 9. 1 Paral. 16, 30., significatione autem non convenit cum חַיִל robur, sed cum חוּל tremere; nam etiam de parturientibus usurpatur, quarum non est robur, sed tremor, et nostro etiam loco parallelum est praecedenti תִּירָא

timebit. — הוֹבִישׁ IV. a יָבֵשׁ Hebr. et Aram. = يبس aridus fuit, exaruit; significatio autem est a בּוֹשׁ confundi, pudefieri, quae significatio fortasse ipsa orta est ab ariditate oris, quae pudefactis contingit, ut non possint verbum proferre; nam IV. ايبس non solum est exsiccavit, et exaruit, sed etiam siluit, conticuit, nullum verbum fecit. IV. הֵבִישׁ quidem transitive est pudcfecit, usurpatur autem etiam intransitive pudefactus est Jer. 2, 26. 6, 15. 8, 9. 12. 10, 14. 50, 2. Joel 1, 11., et hoc ipsum contextus nostri loci flagitat. Conf. Michaelis Suppl. ad L. H. p. 163 — 164. — מַבָּט ἅπαξλ. prospectus, seu spes, vel ut Jes. 20. 5 — 6. מַבָּט objectum spei, in quod quis spe plenus prospicit, a נבט obsol. = نبط scaturivit, eduxit aquam, IV. curavit fodi puteum, ad aquam primamque ejus scaturiginem pertigit fossor putei, et etiam apparuit, prodiit, quod latebat. Hebraica II. נִבַּט et IV. הִבִּיט vidit, prospexit; plura Verba ab aqua transferuntur ad visum et lucem, ut נָהָר, نهر, fluvius, et نهار dies quamdiu lucet sol, seu nocti oppositus; et Ps. 34, 6. הִבִּיטוּ אֵלָיו וְנָהָרוּ respiciunt ad eum, et lucidi, seu sereni fiunt, i. e. gaudio complentur, conf. Jes. 60, 5.; ita et Aram. נְהַר splenduit, illuxit. — Spem expresserunt omnes antiqui interpretes, nisi quod Alexandrinus, neglec-

tis verbis, sensum reddidit: ησχυνθη επι τῳ παραπτωματι αυτης, nempe Tyri. — Paulusius sententiam hanc vertit: Jehova arefecit fontem felicitatis ejus, ubi non solum Nominativum Jehova pro lubitu intrusit, sed etiam Verbo הֹבִישׁ, invito contextu proximo, tribuit notionem arefaciendi, quam alias non habet nisi adjecto Accusativo aquae, fluvii, maris, fructuum etc., quorum simile hic nihil legitur; nam מַבָּט esse fontem, et quidem fontem felicitatis, gratis sumtum est; affine מַבָּט Jes. 20, 5—6., ad quod provocat, nihil minus quam fontem felicitatis, sed objectum, ad quod sperantes respiciunt, et a quo auxilium exspectant, significat; ex sola autem etymologia (نَبَطَ) notionem extundere, ubi nec contextus, nec loca parallela exigunt, arbitrarium est.

וְאָבַד מֶלֶךְ מֵעַזָּה peribit autem rex ex Gaza. Qua atrocitate perierit hic regulus, seu regius Gazae satrapa, nomine Betis, qui urbem strenue defenderat, ex Curtio referre juverit, qui L. IV. c. 19. scribit: „Betim, egregia edita pugna, multis„que vulneribus confectum, deseruerunt sui. Nec „tamen segnius praelium capessebat, lubricis armis „suo pariter atque hostium sanguine, cum undique „circumdato Alexander, insolenti gaudio juvenis ela„tus, alias virtutem etiam in hoste miratus, non ut „voluisti, inquit, morieris, Beti! sed quid„quid tormentorum in captivum inveniri „potest, passurum te esse cogita. Ille non „interrito modo, sed contumaci quoque vultu intuens „regem, nullam ad minas ejus reddit vocem. Tum

„Alexander: videtisne obstinatum ad tacen„dum? inquit, num genu posuit? num suppli„cem vocem misit? Vincam tamen silen„tium, et, si nihil aliud, certe gemitu in„terpolabo. Iram deinde vertit in rabiem, jam „tum peregrinos ritus nova subeunte fortuna. Per „talos enim spirantis lora trajecta sunt, religatumque „ad currum traxere circa urbem equi, gloriante rege, „Achillem, a quo genus ipse duceret, imitatum se „esse poena in hostem capienda." Hoc adducto loco et similibus, quae supra recitavimus, et in sequentibus passim adducemus, non hoc volumus, Prophetam haec omnia cogitasse, sed eminentiam et atrocitatem facinorum meruisse, ut divinitus revelarentur, et in vaticinio generatim attingerentur.

וְאַשְׁקְלוֹן לֹא תֵשֵׁב et Aschkalon non habitabitur, incolis destituetur. — יָשַׁב sedit, consedit, habitavit, non solum a Zacharia c. 7, 4. c. 14, 10., sed etiam ab aliis scriptoribus usurpatur quoque intransitive, habitatus fuit, ut Jer. 13, 20. 50, 13. 34. 39. Ezech. 26, 20. 29, 11. Job. 15, 28. Haec urbs videtur vel fortunam suam armis experiri voluisse, vel officio, victori praestando, defuisse, ut vastata vel incolis orbata fuerit; historia, quae nonnisi insignia et summa attingit, de sorte minorum urbium, et de gestis minus eminentibus nihil refert.

Zach. 9, 6.

וְיָשַׁב מַמְזֵר בְּאַשְׁדּוֹד etiam Aschdodi, seu Azoti, habitabunt spurii. -- מַמְזֵר (quod collectivum esse, per se intelligitur) reddi solet spu-

rius, et Thalmudici, quos sequitur Michaelis, derivant a מוּם macula, labes, vitium, et זָר peregrinus, ut sit pro מַמְזֵר labes peregrini; ignominiosum esse nomen, ex Deut. 23, 2. liquet, qui solus est locus, ubi vox recurrit. Alexandrinus et Syrus vertunt: peregrini; Vulgatus h. e. non, ut Gesenius in Lex. ait, de scorto natus, sed separator; conjecturae de voce difficili et obscura. Chaldaeus ineptit, cum dicit, Israelitas habitaturos Aschdodi; hos enim Propheta non ignominiose notasset; accedit quod versu demum sequenti primum dicitur, Philistaeos Deum adoraturos esse. Paulusius nomen deducit a مذر corruptum fuit ovum, male affectus fuit ventriculus, animus etc., et ita nomen designaret corruptam coloniae foecem. — Etiam hujus urbis incolae videntur officio suo defuisse, et ideo ipsis pulsis vel venditis coloni ex veteranis Alexandri, ut videtur, deterrimis et vilissimis inducti fuisse, qui ignominiosum hoc nomen meruerint, quod etsi in historia, majoribus occupata, non refertur, ex natura tamen rei haustum et verissimillimum est.

וְהִכְרַתִּי גְּאוֹן פְּלִשְׁתִּים et exscindam fastum Philistaeorum, seu fastuosos et arrogantes Philistaeos; celsitudo enim, fastus et arrogantia, גָּאוֹן, non exscinditur, sed humiliatur. His verbis repetitur, quod jam in prioribus dictum fuit, expugnandas et incolis orbandas esse urbes Philistaeorum, Gazam, Aschkalonem, Asehdodum et Ekronem, et ita Philistaeae celsitudinem permultum imminuendam esse.

Ceterum ante hoc membrum intelligendum esse: **ait Jehova**, facile intelligitur; Deus enim loquitur.

Zach. 9, 7.

Excidium arrogantium Philistaeorum occasionem obtulit interscrendi vaticinium de remotiori meliori eorum sorte, quam Deus ipse promittit. וַהֲסִרֹתִי דָמָיו מִפִּיו וְשִׁקֻּצָיו מִבֵּין שִׁנָּיו demum removebo sanguinem eorum ex ore ipsorum, et abominabilia eorum ex dentibus eorum. Suffixa quidem sunt singularia, quia referuntur ad abstractum, גָּאוֹן; sicut autem istud venit pro Adjectivo sequentis pluralis פְּלִשְׁתִּים, ita etiam haec suffixa vertenda sunt in plurali numero. Sermo est de victimis idolorum, quarum non tantum carnes in epulis manducabantur, sed etiam sanguis ab idololatris orientalibus bibebatur, quod Hebraeis sub poena capitali iteratis vicibus interdictum fuit, Lev. 3, 15. 7, 26. 17, 10. 12. et a. l. — שִׁקּוּץ, in sola Chaldaica dialecto superstes, ab antiquis interpretibus redditur abominatus est, et שִׁקּוּץ vel שֶׁקֶץ abominatio, et res abominabilis, nostro loco, ut ex oppositione sanguinis liquet, victimae idolis oblatae. Sensus est, Philistaeos aliquando idololatriam abjecturos esse, quod Propheta sequentibus verbis propriis exprimit:

וְנִשְׁאַר גַּם הוּא לֵאלֹהֵינוּ relictus itaque erit etiam hic Deo nostro, ubi numerus singularis rursus ad גָּאוֹן versus 6ti respicit, et vertendus est in plurali, qui itaque relicti fuerint, erunt Dei nostri populus, seu Deum nostrum colent.

וְהָיָה כְּאַלֻּף בִּיהוּדָה וְעֶקְרוֹן כִּיבוּסִי rursus collective vertendum: et erunt sicut chiliarchae in Juda, et Ekronitae sicut Jebusitae. — אַלּוּף inprimis de principibus Edomitarum usitatum est Gen. 36, 15 — 42. 40; 2. Exod. 15, 15. 1 Paral. 1, 51 — 54.; alias etiam, ut أَلُوف, familiarem significat, ut Mich. 7, 5. Prov. 2, 16. 16, 28. 17, 9. Ps. 55, 14. Jer. 13, 21.; quia hic mox sequitur comparatio cum Jebusitis, qui expugnatis Jerosolymis coluerunt Jehovam, et cum Hebraeis in unum populum coaluerunt; adeoque familiares et amici eorum facti sunt: posset et idem de Philistaeis intelligi, nisi Zacharias c. 12, 5 — 6. duces manifeste diceret אַלֻּפִים, unde consequitur, eum et nostro loco hanc voci notionem tribuere.

Ultima hujus versus 7. membra sunt verba Prophetae, et parenthesi includenda; nam v. 8., in quo rursus loquitur Deus, continuatur sermo, qui post primum v. 7. membrum abruptus fuit.

Zach. 9, 8.

וְחָנִיתִי לְבֵיתִי מִצָּבָה מֵעֹבֵר מִשָּׁב ante domum autem meam (templum) castra metabor ob exercitum, ob transeuntem, ob revertentem; imago tutelae, quam Deus templo suo, quod aetate Zachariae aedificabatur, pollicetur. — מִצָּבָה, K'ri monet legendum esse מִצָּבָא cum Aleph; quod Masorethae, in aliis codicibus inventum, praetulerunt; nihil tamen amplius esse videtur, quam diversa orthographia, quae etiam Jes. 29, 7. in צֹבֶיהָ pro צֹבְאֶיהָ,

et alias nonnunquam observatur. Nihilominus vox fixit crucem antiquis interpretibus, quorum nullus verum sensum cepit, sed omnes inanibus conjecturis indulserunt. Solus quidem Vulgatus certo legit מִצָּבָא, sed et hic sensum pervertit. Alexandrinus in cod. Alexandrino habet *αναστεμα*, at in cod. Vatic. *αναστημα*; videtur praefectum eminentem intellexisse, uti Syrus, qui eum consuluit, vertit. Ex Chaldaica paraphrasi nec lectio, nec versio vocis extundi potest. Omnes errarunt etiam in eo, quod non adverterent, meram esse imaginem tutelae divinae, et quod transeuntem et revertentem de Judaeis interpretarentur colentibus Deum; adeoque Mem praefixo tribuerunt significationem ex, vel ut Alexandrinus, vim negativam; nec ullus observabat, Verbum חָנָה non construi cum Praepositione ex, et, si Mem praefixum haberet vim negativam, necessarium fore aliud Verbum sequens, e. gr. ut transiens non faciat hoc vel illud. Ut haec, quae dixi, clariora fiant, subjungo ipsas versiones. Vulgatus: circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes et revertentes; Syrus: castra metari jubebo praefectum ex illis, qui transeunt, et qui revertuntur; Alexandrinus: *ὑποστησομαι τῳ οικῳ μȣ αναστημα* (vel *αναστεμα*) *τȣ μη διαπορευεσθαι μηδε ανακαμπτειν*. — Paulusius מִצָּבָה mutat in מַצָּבָה, quod derivat a נָצַב = نصب posuit, statuit, fixit, et explicat exercitum perpetuum, ab Aristobulo rege ex pere-

grinis delectum, (eine stehende Armee); verum מַצָּבָה non est exercitus perpetuus, sed statio militum, seu praesidium militare, ut ex 1 Sam. 14, 12. liquet. Praeterea חָנָה nunquam usurpatur cum Accusativo exercitus, sed cum Praepositione loci, in quo, vel personae, circa quam, vel hostis, contra quem castra figuntur, aut etiam cum Nominativo מַחֲנֶה castra, ut Ps. 27, 3. Est nempe חָנָה Verbum reciprocum se collocare in castris, sich lagern, quod omnem Accusativum respuit. Quare Mem necessario est praefixum, uti in מֵעֹבֵר et מִשָּׁב, et ubique ejusdem significationis ob vel contra, ut alias persaepe, Exod. 2, 23. 6, 9. Deut. 7, 7. Jes. 53, 5. Ps. 12, 6. 68, 12. Prov. 23, 4. et a. l. Idipsum mox sequenti membro confirmatur, quo exponitur finis, ne nempe rursus invadat Hebraeos exactor similis Nebucadnezari. — Saepius illis temporibus, non solum rege Cambyse, sed etiam subsequenti aevo, exercitus Persarum transierunt in Aegyptum et reversi sunt, unde recte colligimus, verba haec proprie de tali itinere et reditu exercitus intelligenda esse, et quidem de celeberrimo quopiam exercitu, qualis fuit Alexandri in Aegyptum tendentis et revertentis, esse sermonem, de quo et reliqua omnia agunt.

וְלֹא יַעֲבֹר עֲלֵיהֶם עוֹד נֹגֵשׂ ut non rursus transeat (vel irrumpat) contra eos exactor, ne Judaeos iterum bellator, ut olim Nebucadnezar, invadat, nempe Alexander, de cujus revolutione, simili illi per Nebucadnezarem, vaticinatus quoque est Za-

chariae coaevus Haggai c. 2, 7. 20 — 23., cui Zacharias id modo disertis verbis addit, hanc rerum omnium conversionem Hebraeis nullatenus fore noxiam aut infestam. — נֹגֵשׂ venit quidem de rege vel imperatore Zach. 10, 4. Jes. 3, 12. 14, 2. 60, 17., et ita vertit Chaldaeus שׁוּלְטָן; plerumque tamen de duriori praefecto, domino, vel exactore usurpatur, ut vertit Vulgatus: exactor, et Syrus: מְשַׁעְבְּדָנָא in servitutem redigens, a quo non longe abest Alexandrinus ἐξελαύνων, expellens.

כִּי עַתָּה רָאִיתִי בְעֵינָי nam nunc aspiciam oculis meis, nempe Hebraeos; ut eos protegam, valde attentus ero, quod v. 1. dictum fuit: Jehovae est oculus. In futuro vertendum esse, et series orationis et substrata materia monet. Hebraeis promittitur tutela divina, ne laedantur ab Alexandro, quem Judaeis saltem nullum damnum intulisse, ex silentio historiae colligi potest eo majori jure, cum Curtius IV. 21. attingat vindictam ab urbe Samaria exactam, de Hebraeis autem et Jerusalem multo celebriori taceat. Illaesos itaque mansisse Hebraeos, satis constat, quidquid de singulari favore, quem Josephus Arch. XI. 8, 3 — 6. narrat, statuere placuerit. Conf. meam Bibl. Arch. II. Th. I. B. §. 71. p. 300 — 306. — His vaticinium de Alexandri irruptione clauditur.

Sequentibus versibus 9 — 13. sermo Dei quidem continuatur, sed alia est materia substrata.

Zach. 9, 9.

גִּילִי מְאֹד בַּת צִיּוֹן הָרִיעִי בַּת יְרוּשָׁלַםִ exsulta vehementer filia Zion! jubila filia Jerusa-

lem! Filia dicitur urbs, seu incolae urbis, superioris Zion, et inferioris, quae in oppositione proprie Jerusalem dici solet. Conf. meam Bibl. Archaeol. I. Th. I. B. §. 50. S. 246 — 247. III. Th. §. 53. S, 246 — 250. — גִּיל = جال med. Vau circumivit, in orbem ivit, gyravit; hinc Hebraeis probabilius primo saltavit, dein exsultavit gaudio, sed usurpatur quoque de timore, et adfinc sibi habet وجل timuit, Ps. 2, 11.; nostro loco, ut plerumque, de laetitia usurpari, patet ex sequenti membro. — ריע inusit. IV. הֵרִיעַ non solum de cornu aut buccina classicum canente, sed etiam de qualibet laeta acclamatione adhibetur. Qui notionem hanc ex רָעַע fregit, extundunt, et fractum clangorem indicari contendunt, parum probabilia dicunt; forte adfine est راع med. Vau terruit, et timuit; nam راع med. Je longius abit, est enim incrementum cepit, increvit. Quidquid sit, notio ex frequenti usu constat, et antiquorum interpretationibus confirmatur.

הִנֵּה מַלְכֵּךְ יָבוֹא לָךְ צַדִּיק וְנוֹשָׁע הוּא en rex tuus veniet ad te, justus et salvatus est.— נוֹשָׁע vertit Alexandrinus σωζων, salvans, Vulgatus salvator, Syrus ܦܪܘܩܐ, et Chaldaeus פָּרִיק ereptor, liberator. Hanc notionem recentiores deducunt satis commode; nam ישע inusit. = وسع amplus fuit; unde IV. הוֹשִׁיעַ quasi amplum fecit, vel amplum locum fecit, in amplum locum deduxit, i. e., eripuit, salvavit, adju-

vit, victoriam concessit, unde VII. נוֹשָׁע non solum ereptus, salvatus fuit, sed etiam esse posset adjutus fuit, i. e., victoriam reportavit, ut a نَصَرَ adjuvit, fit VIII. اِنْتَصَرَ adjutus fuit a Deo, i. e. vicit. Verum in Hebraica dialecto notio quidem vincendi in forma IV. manifestis exemplis comprobatur, de forma autem VII. nullum hujus notionis exemplum certum occurrit; quae enim proferuntur, flagitant notionem salvatus fuit, ut Ps. 80, 4. 8. 20. Jer. 23, 6. 33, 16., etiam loco, a Gesenio adducto Deut. 33, 29., non excepto, ubi עַם נוֹשַׁע est populus ex Aegypto salvatus, uti membrum parallelum בַּיי׳ מָגֵן עֶזְרֶךָ in Jehova est clypeus auxilii tui, luculenter ostendit; clypeus enim nequaquam victoriam, sed salvationem et tutelam indicat. Notio itaque salvatus fuit, ubique locum suum tuetur, ut liquet etiam ex Num. 10, 9. Jes. 45, 17. 64, 4. 30, 15. Jer. 8, 20. 17, 14. 4, 14. 30, 7. 33, 16. 23, 6. Ps. 18, 4. 33, 16. 119, 116, 80, 4. 8. 20. 2 Sam. 22, 4. Prov. 28, 18. in quorum permultis parallelismo poëtico confirmatur. Itaque נוֹשָׁע ex usu loquendi non potest significare nisi salvatum, ereptum. His scriptis invenio in Lexico Simonis allegatam Dissertationem de Messia ut servato, adeoque mea non est nova interpretatio. Antiqui autem interpretes, qui salvatorem habent, nullius possunt esse auctoritatis; nam Alexandrinus et Chaldaeus non ex usu loquendi, sed ex sua dogmatica Judaica, quae Messiam flagitabat salvatorem, non salvatum et ereptum, salvatorem et

ereptorem verterunt; Syrus autem et Vulgatus secuti sunt Alexandrinum. Exegesis vero non quaerit, quam ideam Messiae fixerit Dogmatica Judaeorum multo recentior, sed quae sit antiqua et vera notio vocum, et quis sententiarum sensus. Quod autem caput rei est, notio victoriosi salvatoris repugnat iis, quae mox de afflictionibus et studio pacis sequuntur, et postulant, ut נוֹשָׁע intelligatur de salvato, quae notio historiae Jesu profecto adprime convenit; si autem non omne illud dicit, quod historia refert, meminisse oportet, quod saepè monuimus, vaticinia nequaquam narrare, sed obscure adumbrare, quae contingent; quae cum contigerint, illustrabuntur et narabuntur.

עָנִי וְרֹכֵב עַל חֲמוֹר וְעַל עַיִר בֶּן אֲתֹנוֹת afflictus, et vectus asino, nempe pullo asinarum, seu juvene generoso asino. — עָנִי, Alexandrini interpretes et Aquila: πρᾳυς, quo alias semper עָנָו, nunquam עָנִי reddunt, ut Concordantias Trommii evolventi patebit. Ita etiam Chaldaeus עִנְוְתָן, quo alias exprimit עָנָו Judaei nempe nolebant Messiam afflictum; hinc notionem mansueti obtruserunt voci. Syrus secutus est Alexandrinum, et vertit מכִּיכָא mansuetus, humilis. Hieronymus cum Symmacho veritati propior est; vertit enim pauper, dubio procul, quia עָנִי persaepe cum אֶבְיוֹן pauper, jungitur, ut Deut. 24, 14. Job. 24, 14. Ps. 25, 10. 36, 14. 40, 18. 70, 6. 72, 12. 74, 21. 82, 4. 86, 1. 109, 16. Prov. 31, 6. et a. l.; verum ideo עָנִי non est prorsus idem ac אֶבְיוֹן. Notissimum est, in עָנָה plures latere notiones, quas Ara-

bes orthographia distinguunt; عَنِيَ intendit aliquid, hinc עָנָה allocutus est, respondit; quasi intendit in aliquem loquens; عَنَا humilis, supplex, demissus fuit; detentus fuit egitve inter captivos; hinc עָנָה depressus, oppressus, afflictus fuit, unde est et עָנָו mansuetus, et עָנִי afflictus, oppressus, quod ultimum contextus nostri loci postulat, ubi cum erepto seu salvato junctum legimus, conf. Deut. 24, 12—13. 15. Ps. 69, 30. 82, 3. 140, 13. Prov. 15, 15. Jes. 26, 6. 65, 2. Zeph. 3, 12. — Qui dicunt, עָנִי et עָנָו notione vix differe, falluntur; aliud enim est afflictus, oppressus, et aliud mansuctus, nec afflictus semper mansuetus, neque mansuetus semper afflictus est. — רָכַב Hebr. et Aram. = رَكِبَ insedit, vectus est jumento vel curru. Asino vehi opponitur bello, in quo usus erat equorum; significat igitur pacis studium, conf. Prov. 21, 31. Hos. 14, 4. et meam Bibl. Arch. I. Th. I. B. §. 59. S. 293. Id ipsum versu sequenti verbis propriis multo gravioribus exprimitur. — Vau praefixum in וְעַל esse exegeticum, quilibet facile observabit. — עַיִר = Syr. ܥܝܠܐ עִילָא pullus asini, cameli, equi; عَيْر generatim asinus domesticus; عَارَ med. Je iter fecit, quia asinus est et erat olim in oriente consuctum in itinere vecturae genus. Sunt autem asini, quibus non onera, sed homines vehuntur, generosiores, ut diximus in Bibl.

Arch. I. Th. I. B. §. 57. S. 275 — 279. et §. 59. S. 293. Hinc additum est בֶּן אֲתֹנוֹת filius asinarum, cujus nempe matres nobiliores per aliquot generationes notae sunt, sicuti nunc in oriente equorum generosorum matres per multas generationes, scriptis documentis probari solent, cum patres tantum obiter memorentur, conf. Sonini Reiseb. II. Th. Anhang. S. 499. Id aetate Zachariae in asinis generosis observatum fuisse videtur, quod vero non est dissimile, siquidem Otter Reis. II. Th. S. 39. refert, Bassrae originem et genitricem agnorum aeque studiose ac equorum attendi. Quod si non placuerit, Propheta ad consuetudinem illam, in equis generosis observatam alludit. Qui ideo duntaxat dici opinantur pullum asinarum, ut distinguatur a mulo, non observant הֲמוֹר nequaquam esse vocem ambiguam, nec unquam de mulo usurpari, qui aliunde proprio suo nomine פֶּרֶד gaudet.

Zach. 9, 10.

וְהִכְרַתִּי רֶכֶב מֵאֶפְרַיִם וְסוּס מִירוּשָׁלַםִ nam exscindam currus ex Ephraim, et equos ex Jerusalem. Primum Vau praefixum est caussale; ratio enim redditur, cur rex asino vectus venturus sit, conf. meam Gramm. Lingu. Hebr. p. 433. N. 7. — Alexandrinus in cod. Vatic mutat personam: ἐξολοθρεύσει, et in cod. Alex.: ἐξολοθρευθήσεται, quod ex membro sequenti sumtum est; et hunc secutus est Syrus: מוֹבֵד perdens, nempe erit. Primam personam, quae in praecedentibus et sequentibus obtinet, recte conservarunt Chaldaeus et Vulgatus. — רֶכֶב, Syr. רַכְבָא, et

Arab. ﺮﻛﻮﺑﺔ vectura, currus, et סוּס, Hebr. et Aram. equus, collective usurpantur; de curribus et equis bellicis consule meam Bibl. Arch. II. Th. II. B. §. 230. S. 439 — 442. §. 229. S. 436 — 439. — Ex Ephraim, non de tribu, sed de regione hujus tribus intelligendum esse, docet parallelismus ex Jerusalem; haec tamen distributio poëtica nequaquam premenda est; non enim amplius dicit, quam ex regione Hebraeorum, et phrasis praeterea est hyperbolica, atque generatim dicit pacis studiosissimum.

וְנִכְרְתָה קֶשֶׁת מִלְחָמָה et exscindetur arcus belli, seu abolebuntur arcus bellici. Species aliquae armorum et bellicarum machinarum, more poëtarum, pro omnibus instrumentis bellicis nominantur. — קֶשֶׁת, Syr. קֶשְׁתָּא, Chald. קַשְׁתָּא = قَوس arcus; adjectum Substantivum מִלְחָמָה bellum, supplet vicem Adjectivi bellicus, ut distinguatur ab arcu venatoris. Eaedem fere phrases occurrunt Ps. 46, 10. de fine belli, nostro autem loco adumbrant regem prorsus pacificum et ab omni bello alienissimum, uti sequens membrum diserte edicit.

וְדִבֶּר שָׁלוֹם לַגּוֹיִם nam praecipiet pacem gentibus. Praefixum Vau caussale esse, innuit contextus. — דִּבֶּר loquetur, valet praecipiet; nam regum non est proprie pacem loqui, annunciare pacem, sed vel pacem poscere, vel conficere, pacis leges ferre, pacem praecipere, quod ultimum huic contextui orationis prae ceteris convenit. Alexandrinus omnia turbat additamento: ἐξολοθρευσεται τοξον

πολεμικον, *και πληθος και ειρηνη εξ εθνων*, ac si et arma et multitudo gentium, sublata pace, exitio destinentur; sensum fere eundem exsculpsit Chaldaeus: conteram facientes bella et castra populorum, quod autem nec praecedentibus, nec sequentibus congruit, nec alia erat caussa verba ita contorquendi, nisi quod ambo hi interpretes Messiam pacificum abhorrebant.

וּמָשְׁלוֹ מִיָּם עַד יָם וּמִנָּהָר עַד אַפְסֵי אָרֶץ et imperium ejus (erit) a mari usque ad mare, et a fluvio usque ad terminos terrae. — מָשְׁלוֹ (a מֹשֶׁל) imperium ejus, a מָשַׁל, Aram. מְתַל, Arab. مَثَلَ, similis fuit, solis Hebraeis etiam dominatus fuit. Sequentes duae phrases, saepius occurrentes, latissimum imperium exprimunt, et desumtae putantur a finibus imperii Davidis, nempe a mari mediterraneo usque ad sinum Arabicum, et a fluvio Euphrate usque ad terminos regionis Hebraeorum meridionales, qui tamen satis artificiose quaesiti esse videntur. Termini terrae, אַפְסֵי הָאָרֶץ, in quibusdam locis videntur omnino esse fines regionis Hebraeorum, ut Deut. 33, 17. Ps. 59, 14. 98, 3.; ast in aliis plerisque locis significatio est latior, et indicat terminos terraquei, tunc cogniti, ut ex Prov. 30, 4. et Jer. 16, 19. liquet, et Rosenmüllerus ad Ps. 2, 8. 22, 28. 72, 8. observavit, conf. quoque 1 Sam. 2, 10. Ps. 67, 8. 98, 5. 59, 14. Amos 8, 12. Jes. 45, 22. 52, 10. Mich. 5, 3. Phrases ergo hae poëticae amplissimum regnum indicant, a mari mediteraneo usque ad aliud quodcunque remotissi-

mum mare, et ab Euphrate usque ad extremos orbis terminos, (qui prius dicti sunt mare alterum,) et hoc imperium tribuitur regi ingressuro Zion, seu successori Davidis, justo, salvato, afflicto, et prorsus pacifico, ideoque asino insidenti, qui, ob omni bello alienissimus, pacem gentibus decernet. Rex profecto prorsus singularis, qui sine bello regnum latissimum consequatur, cum bella in omni republica civili videantur esse inevitabilia. Hunc non esse Alexandrum, perpetuorum bellorum cupidissimum, Bucephalo inequitantem, vix monitione indiget; nam ut prorsus alius ei opponitur. De exercitu Alexandri dicitur, nullam templo noxam illaturum; de hoc rege venturo autem, nullas militum copias habiturum, sed bella aboliturum, et pacem gentibus praecepturum esse, seu prorsus non fore bellatorem; id enim solum illis poëticis dictionibus exprimi, non negabit, qui poëticum dicendi genus rite aestimare didicit. — Zerubabelem, qui nequidem rex fuit, multo minus tam lato imperio potitus est, indicari, nemo dicet, qui meminerit, hunc Judaeae praefectum fuisse coaevum Zachariae, et h. l. de futuro aliquo rege esse sermonem. — Paulusius intelligit Johannem Hyrcanum, qui, exceptis bellis non paucis, pacem coluit; verum mirum est, virum, alias perspicacem, non vidisse, hac exceptione omnem bellatorem posse dici pacificum, nostro autem loco de hoc rege omne bellum plane negari, et id adeo exaggerari, ut omnis exceptio excludatur. Non est itaque rex, qui vaticinio conveniat, nisi Messias, de quo etiam Thalmudici et Rabbini

magno consensu locum interpretati sunt, quorum verba exhibet Vetstenius in N. T. ad Matth. 21, 5. oonf. et Joh. 12, 15 seqq.; sed hi Rabbini mirum in modum se torquent, ut cum praejudicata sua opinione, Messiam fore bellatorem et victorem gentium, concilient. Nos, qui Jesum agnoscimus Messiam, nullatenus laboramus; videmus enim, cloquium divinum de primo ejus adventu agere, et Matth. 21, 1 — 11. Marc. 11, 1 — 11. Luc. 19, 28 — 40. Joh. 12, 12 — 19. reperimus, fuisse opere completum, sive Jesus solemnem illum introitum Jerosolymis, respiciendo ad nostrum locum, de industria apparaverit, sive, ut vult Paulusius, ideo solummodo asino vehi voluerit, ut ab omnibus facilius conspici posset, et proderet, se minime velle latere; nam si primum illud sumas, Jesus facto hoc voluit omnibus manifestum fieri, se esse illum regem pacificum, a Zacharia promissum; si autem mavelis alterum, nihilominus vaticinium ad literam opere completum fuit, etsi nec intentum, nec necessarium fuisset, cum vectura asini non sit nisi symbolum pacis. Qui opponunt, etiam post Jesum bella permulta et magna gesta esse et adhuc geri, adeoque minime abolita esse, verba haec non satis attente expenderunt; sensus enim non est, nulla fore bella, sed hunc regem nulla bella praeceptürum, ut Moses praeceperat Hebraeis contra Canaanitas, et Alexander perpetuo gerere decreverat.

Hucusque adumbratus est Alexander irrumpens in Syriam, et ex Aegypto regrediens, qui ubique strages editurus, nec tamen Judaeos et templum laesurus

esset, c. 9, 1 — 8.; atque huic oppositus fuit aliquando venturus rex justus, salvatus, afflictus et ab omni bello alienissimus, qui nihilominus vastissimo imperio potiturus sit, Messias Jesus c. 9, 9 — 10.: in sequentibus autem sermo regreditur in tempora, quae adventum hujus regis praecessura erant, ac si diceretur: ut autem locus huic adventui praeparetur, antecedent bella atrocia, in quibus Judaei de Graecis seu Macedonibus, Syriae imperantibus, victores redibunt, et libertatem suam ab aliena dominatione recuperabunt c. 9, 10 — 10, 12. Juxta ordinem temporis nunc primum de illo venturo pacifico rege dicendum fuisset, quia autem adumbratio ejus jam praecessit, sermo mox progreditur ad ultima reipublicae Judaicae tempora, et illud luctuosum genti bellum cum Romanis, seu totius reipublicae dissolutio, paucis lineamentis adumbratur, eversio autem urbis ac vastatio regionis, quam Daniel et Malachias sistit, lectori cogitanda relinquitur, adeoque de eodem quidem tempore agitur, sed solae hostium irruptiones et vastationes atque turbae internae, contentiones et mutuae perditissimorum ducum seu regulorum pugnae repraesentantur, exitus autem, quem haec rerum omnium confusio demum habitura esset, et quem Daniel et Malachias adumbrant, non attingitur. De Messia quidem nulla est expressa mentio; quia autem revera de tempore secundi adventus Messiae, de quo loquuntur Malachias et Daniel, sermo est, etiam hanc pericopam, et ut totus contextus vaticinii appareat, partem quoque intermediam interpretabimur, inprimis cum exercita-

tionis exegeticae caussa scribimus, et integra haec pars amplam materiam praebet.

Zach. 9, 11.

גַּם־אַתְּ בְּדַם בְּרִיתֵךְ שִׁלַּחְתִּי אֲסִירַיִךְ מִבּוֹר אֵין מַיִם בּוֹ ideo, quod ad te attinet (filia Zion! filia Jerusalem! v. 9.) ob sanguinem foederis tui dimitto vinctos tuos ex cisterna, in qua non est aqua, i. e., ex carcere, qui antiquiori aevo erat cisterna vacua, ut in Bibl. Arch. I. Th. I. B. §. 54. S. 260. dictum est. Carcer autem hoc loco est symbolum captivitatis, in qua inviti detinebantur Hebraei. Sanguis foederis est sanguis victimae, quo foedus illud cum Abrahamo Gen. 15, 1 — 17. 18, 17 — 19. 22, 15 — 18., et demum cum ejus posteris Israelitis Exod. 23, 20 — 31. 24, 1 — 8. firmatum est, quo ipsis possessio regionis Canaan promissa fuit. Sensus ergo est: quod attinet ad vos cives Jerosolymorum! dimitto captivos vestros ex loco exilii propter foedus illud, quo vobis Canaan promisi, et vos mihi sacros esse volui. — גַּם esse illativum, ideo, hinc, contextus innuit, ut 1 Sam. 12, 16. Ps. 71, 22. 19, 12. Prov. 1, 26. Eccl. 7, 21. et a. l. — אַתְּ Nominativus absolutus, ideoque resolvendus, respicit ad filiam Zion et Jerusalem, seu incolas urbis v. 9. — שִׁלַּחְתִּי in Futuro vertendum esse, monent sequentia; Alexandrinus, Syrus et Chaldaeus vertunt in secunda persona, et quia praecessit foem. אַתְּ, Jod habent pro Aramaea terminatione foeminina. — אָסִיר vinctus, et latius captivus, ut Jes. 14, 17 — 18. 10, 4. 42, 7.

Zach. 9, 12.

שׁוּבוּ לְבִצָּרוֹן אֲסִירֵי הַתִּקְוָה revertimini ad munimentum captivi spe, nempe reditus, qui vobis ab antiquis prophetis, inprimis a Jeremia et Ezechiele, promissus fuit. Facultas redeundi jam aderat, haec versu 11. confirmata fuit, et nunc in futurum tempus duratura promittitur, quo, ut redeant, exules provocantur. — בִּצָּרוֹן, alibi non occurrens, per substratam materiam determinatur ad Jerusalem, et collatio מִבְצָר munimentum, et בְּצוּרָה בָּצוּר munitus, munita, satis clare docet significationem munimenti, a בָּצַר abscidit, praescidit, et ut Syr. בצר, abbreviavit, unde praescidit ab aditu hostium, seu munivit. Jerusalem aetate Zachariae c. 2, 8. erat oppidum patens, et lapsis demum 96 annis a Nehemia moenibus cincta fuit. Vaticinium itaque simul innuit, urbem aliquando fore munitam. — תִּקְוָה spes, exspectatio, Job. 5, 16. 7, 6. Ruth. 1, 12. et a. l., a קָוָה exspectavit, quasi spe et exspectatione se torsit; proprie enim est torsit funem, unde קַו funiculus, et قوي superavit robore, in IV. أقوي partibus crassitie differentibus torsit funem, et تقوي pietas. Alexandrinus reddit συναγωγη, et Syrus, qui eum consuluit, כנושתא congregatio, nempe a VII. נִקְוָה congregatus fuit, Gen. 1, 9. et Jer. 3, 7., cui nostri loci contextus repugnat. Recte circumloquitur Chaldacus אֲסִירַיָּא דִמְסַבְּרִין לְפוּרְקָנָא captivi sperantes liberationem. — שׁוּבוּ Alexandrinus, et, qui ipsum sequitur, Syrus, vertunt: se-

dete, in codice suo defective scriptum שׁבנו male enunciarunt שָׁבְנוּ, et derivarunt a יָשַׁב.

גַּם־הַיּוֹם מַגִּיד מִשְׁנֶה אָשִׁיב לָךְ nam hodie annuncio: dupplum reddam tibi. — Post מַגִּיד annuncians, supplendum esse אֲנִי ego, ex sequenti אָשִׁיב apparet. — גַּם esse caussale, patet ex praecedentibus, conf. Job. 13, 16. 16, 19. Eccl. 7, 4. Mal. 3, 15. — מִשְׁנֶה duplum, et etiam secundus, a שָׁנָה collato ثَنَّي et Aram. תְּנָא iteravit. Sensus est: pro iis afflictionibus, quas tolerastis, eo majora vobis beneficia praestabo. Alexandrinus, et, qui eum consuluit, Syrus: pro uno die (Alexandrinus addit: peregrinationis vestrae) duplum reddam tibi (Alex. vobis); ambo omiserunt מַגִּיד, quia non viderunt, ad quem referendum sit, quod ipsum Chaldaeus ideo circumloquitur: etiam hodie mitto ad annunciandum vobis: אַף יוֹמָא דֵין אֶשְׁלַח לְהַחֲוָאָה לְכוֹן.

Zach. 9, 13.

כִּי דָרַכְתִּי לִי יְהוּדָה קֶשֶׁת מִלֵּאתִי אֶפְרַיִם nam tendam mihi Judam arcum, implebo (hunc arcum) Ephraimo, proprie: faciam Ephraimum implere, nempe hunc arcum. Deus sistit se bellatorem, qui tendit ingentem arcum, nempe omnes posteros totius antiqui regni Juda; et huic arcui imponit praegrandem sagittam, nempe universos posteros antiqui regni decem tribuum, et ita in hostes ejaculaturus est. Peregrina nobis acerrimi belli imago, qua Arabes paulo alia ratione utuntur; lau-

dant enim strenuum heroëm tanquam sagittam, et exercitum sistunt tanquam arcum, uti Annal. Moslem. Abulfedae T. III. p. 474.: رميته بك عن خميس jaculatus es eum (quasi sagittam) per te ex exercitu (tanquam arcu), ubi Reiske Nota F. p. 476. annotat: „ille, qui a poëta laudatur, pingitur ut sa„gitta, et exercitus ejus ut arcus; dicitur enim „رمي بنبله عن قوسه jaculatus est (cum) „sagittis suis ab arcu suo"; et خميس, quod Golius vertit quintam partem, esse exercitum, Reiske ibidem ex antiquo Scholiaste Gorairi probat, forte quintam partem exercitus, quem in 5 partes dividunt Arabes. Allusio ad hanc imaginem et phrasim occurrit Ps. 127, 4 — 5. — Qua ratione arcus calcando, דָּרַךְ, tendatur, in Hermeneutica p. 6. §. 1. dictum est. II. מִלֵּא implevit, hic proprie implere fecit cum duplici Accusativo, altero expresso, altero suppresso. Sensum Chaldaeus utcunque expressit: roborabo coram me illos de domo Juda sicut arcum tensum inter arma; replebo fortitudine domum Israel. Ceterum divisionem in Judam et Ephraim, ex antiquis duobus regnis retentam, in imagine et stilo poëtico non esse premendam, sed solum exprimere omnes origine Israelitas, per se intelligitur.

וְעוֹרַרְתִּי בָנַיִךְ צִיּוֹן עַל בָּנַיִךְ יָוָן וְשַׂמְתִּיךְ כְּחֶרֶב גִּבּוֹר עוֹרֵר nam excitabo filios tuos, Zion! contra filios tuos, Graecia! et faciam te ut

gladium herois. Verba rursus premenda non sunt; filii nempe Zion non soli incolae Jerosolymorum, sed omnes sunt Judaei seu Hebraei, quos jam sub nomine Juda et Ephraim comprehensos vidimus; atque ita etiam filii Graeciae non sunt incolae hujus regionis, sed origine Graeci in Syria dominantes. Notatu profecto dignum est, vaticinium ita esse conceptum, ut non possit de aliis, quam de bellis Judaeorum contra Graecos, Syriam tenentes, intelligi, atque alium prorsus esse tenorem, quam c. 9, 1 — 8., ubi itaque non, prout contendit Paulusius, eadem haec bella, dudum transacta, more Prophetarum adumbrata esse possunt. — עֹורֵר III. ab עור evigilare; Syri solum habent II. עַיֵּר excitavit; longius distat غَارَ med. Je profectus est. — שׂום ponere, etiam esse facere, ostendunt loca permulta, ut Gen. 17, 5. Exod. 4, 11. 10, 2. Deut. 10, 22. Jes. 13, 9. Jer. 13, 16. 32, 20. et a. l. Sensum satis apte expressit Chaldaeus: praevalere faciam filios tuos, Zion! super filios populorum, et ponam te quasi gladium acutum in manu fortis; cur autem יָוָן non verterit Graecia, non facile divinaveris. — Hic sermo Dei, v. 8 — 13, finitur; in sequentibus prosequitur Propheta.

Zach. 9, 14.

וַיְיָ עֲלֵיהֶם יֵרָאֶה וְיָצָא כַבָּרָק חִצּוֹ Jehova super eos apparebit, et exibit sicut fulgur sagitta ejus. His aliis sententiis repetitur, quod

v. 13. promissum fuit auxilium divinum. Apparere, venire dicitur Deus, quando, uti alibi diximus, insignia opera patrat. Sagitta Dei, quae supra erat Ephraim, hoc loco non est nisi imago auxilii divini ad cladem hostibus inferendam; et, quod similitudine sicut fulgur expressum est, alibi tropice sagitta Dei, dicitur fulgur, ut Ps. 18, 13. Hab. 3, 11. — הֵרָאֵה VII. visus est, apparuit, conspiciendum se praebuit, a רָאָה = رَأَى vidit, novit, cognovit. — בָּרָק fulgur, a בָּרַק Hebr. et Aram. = بَرَقَ fulguravit. — חֵץ sagitta, a חָצַץ = حَصَّ celeriter ivit; in III. Arab. et II. Hebr. partitus fuit, quod Arabes sorte, ad quam sagittas adhibent, facere solent.

וַאדֹנָי יְיָ בַּשּׁוֹפָר יִתְקָע וְהָלַךְ בְּסַעֲרוֹת תֵּימָן et Dominus Jehova cornu clanget, et procedet (strages dabit) in procellis austri. Apparitio Dei fulminantis, quae erat proposita in priori membro, his verbis ulterius expingitur, et adduntur tonitrua et procellae australes, ut imago tempestatis sit integra, quae nihil amplius, quam auxilium providentiae divinae contra hostes significat. — שׁוֹפָר non esse tubam vel buccinam, sed cornu, quo classicum canebatur, et sonum ejus etiam pro tonitru venire, ostendimus in Bibl. Arch. II. Th. II. B. §. 236. S. 466 — 467. et I. Th. I. B. §. 104. S. 455 — 456. conf. Exod. 19, 16. 19. Ps. 29; 3 — 9. — תָּקַע fixit, infixit, clanxit, quasi fixit halitum in cornu vel buc-

cinam; proprie sonum designat ad convocandum populum, nostro loco autem latius usurpatur, canere classicum, quod alias הֵרִיעַ dicitur. — הָלַךְ, Syr. II. הַלֵּךְ, ivit, incessit, ast هلك et هلك decidit, concidit, periit, perdidit; notionem decidendi vel ruendi petit contextus etiam in Hebraico Exod. 9, 23., et notionem perdendi seu strages dandi Ps. 73, 9., et, ut videtur, etiam nostro loco. — סַעַר et סְעָרָה procella, turbo, quocum non شعر scivit, novit, sed سعر convenit, quod est percussit eum fervidus ventus, accendit ad bellum; longius discedit Syrorum סער fecit, curavit. — תֵּימָן auster, meridies, a יָמִין dexter, quia vertenti faciem ad ortum, ad dexteram est auster. Australes turbines et procellae a vehementia celebrantur, Job 37, 9. Deut. 33, 2. Hab. 3, 2.

Zach. 9, 15.

יי׳ צְבָ׳ יָגֵן עֲלֵיהֶם Jehova omnipotens proteget eos, his verbis nunc proprie edicitur, quod praecedenti imagine tempestatis expressum erat. — יָגֵן IV. a גָּנַן = جنّ texit, protexit Deus; Syr. in III. אַגֵּן texit, protexit, obumbravit, habitavit, quasi umbram captavit.

וְאָכְלוּ וְכָבְשׁוּ אַבְנֵי קֶלַע שָׁתוּ הָמוּ כְּמוֹ יָיִן hinc calcantes lapides fundarum, vorabunt, et potabunt, tumultuantes quasi a vino (ebrii). Formulae loquendi non parum durae, quarum similes Zacharias plures habet. Ex sequenti membro appa-

ret, potaturos esse sanguinem hostium, et eo, ut crateres altaris plenos fore; adeoque etiam devoratio ad hostes refertur consumendos, a quo utroque proprie sumto, Hebraei quam maxime abhorrebant. Sensus itaque alius esse nequit quam: cupidi praeliorum et victoriae, quasi esurientes carnes hostium devoraturi, et quasi sitibundi sanguinem eorum potaturi, celerrimo incursu jactum lapidum e fundis, (quo praelium inchoabat) penetrantes, irrpent in aciem hostilem, et quasi a vino furentes saevient. Hoc notione perdendi hostes Verbum אָכַל persaepe occurrit, ut Jer. 5, 17. 8, 16. 10, 25. 11, 4—5. 30, 16. Deut. 4, 20. — כָּבַשׁ solis Syris est calcavit; et demum, ut Hebraeis, subegit; notio Syriaca non solum a substrata materia flagitatur, sed etiam aetati Zachariae, qua Hebraismus plura Aramaea adoptaverat, adprime convenit. In versione junxi hoc verbum praecedenti, uti etiam in sequenti membro duo Verba arctius nexui, quia genius linguae Latinae postulare videtur. — Primum Vau praefixum esse illativum, series orationis docet, conf. Noldii Concord. Partic. p. 280. N. 26. vel meam Gramm. L. H. §. 123. p. 436. N. 11. — קֶלַע funda, collectivum esse, cuilibet manifestum est. — הָמוּ non ab הוּם nutare, et commoveri, quod non est bellatorum, sed ab הָמָה perstrepuit, fremuit, tumultuatus est, etiam de tumultu fluctuum, همى fluxit, manavit. — Ante יַיִן durior nonnihil, sed nostro consueta ellipsis praefixi Mem, supplenda est.

Interpretes antiqui omnes sensum pervertunt, et ex parte verba sine sensu reddunt.

וּמָלְאוּ כַּמִּזְרָק כְּזָוִיּוֹת מִזְבֵּחַ et pleni erunt, ut crateres, ut anguli altaris, nempe sanguine. — מִזְרָק, crater, seu collective crateres, vasa, quibus sanguis victimarum excipiebatur, et vel pedi, vel angulis altaris aspergebatur, Num. 4, 14. Exod. 27, 3. 38, 3., a זָרַק Hebr. et Aram. sparsit, a quo longius abit زَرَقَ et ذَرَقَ stercus excrevit avis. — זָוִיָּה, Syr. זָוִיתָא, زاوية angulus, a زوى tetendit eo, vergebat eo. Alexandrinus, omissa hac voce, verba reddidit sine sensu: πλήσουσι τὰς φιάλας ὡς θυσιαστήριον; et Syrus: implebuntur quasi misto, ut anguli altaris; Vulgatus: ut cornua altaris, quae quidem in angulis prominebant, sed ab angulis diversa erant, ut in Bibl. Arch. III. Th. §. 46. S. 228. ostendimus.

Versus igitur, imaginibus et similitudinibus, nobis minus placentibus, nec ubique rerum naturae satis accommodatis, sistit fortitudinem Hebraeorum bellicam et clades, quas Graecis in Syria inferent. Ceterum Paulusius versum 14 et 15. vertit in Plusquamperfecto, nulla alia ratione ductus, quam ut hypothesi, quae et ipsa fundamento caret, accommodet; sed v. 13, qui cum 14 arcte cohaeret, rei evidentia victus, reddit in Futuro, quod argumento est, auctorem parum sibi constare.

Zach. 9, 16.

וְהוֹשִׁיעָם יי׳ אֱלֹהֵיהֶם בַּיּוֹם הַהוּא כְּצֹאן עַמּוֹ et Jehova Deus eorum die illo salvabit eos, sicut oves, populum suum. — הוֹשִׁיעָם salvabit, adjuvabit eos, i. e., victoriam eis concedet, quod tamen in versionem assumi non potest ob seqnentem mox comparationem cum ovibus, quae nec pugnant, nec victoriam reportant. Sicut pastor oves suas contra lupos defendit, eripit et salvas praestat: sic Deus illo tempore popnlum suum a Syris seu Graecis liberabit et salvum praestabit.

כִּי אַבְנֵי נֵזֶר מִתְנוֹסְסוֹת עַל־אַדְמָתוֹ imo erunt sicut lapides diadematis eminentes in regione ejus. — כִּי imo, nt Thren. 1, 10. 2 Sam. 13, 15. Hos. 10, 5. Jer. 16, 5. Jes. 5, 10. — אַבְנֵי נֵזֶר lapides pretiosi diadematis, quos, vix opinor, opponi lapidibus fundarum v. 15.; supplenda autem est ellipsis praefixi Caph, כְּאַבְנֵי, nti praecessit כְּצֹאן. — נֵזֶר abstinentia, consecratio, inprimis nazireatus, coma nazirei, et diadema 2 Sam. 1, 10. 2 Reg. 11, 12. Ps. 89, 40. 132, 18., ab inusit. נזר, in IV. הִזִּיר = نَذَرَ separavit, sacravit, et in VII. se separavit, abstinnit. — מִתְנוֹסְסוֹת nec a נוס fngere, Syr. trepidarc, turbatum esse; nec a נסס, نَشَّ, ebullivit, nec a نَسَّ abegit, sitivit, siccus fuit, neque a Syr. נסס in II. pass. aegrotavit, debilitatus fuit, derivari potest; neque satis commoda est derivatio a נֵס signnm in alta pertica erectum, ut sit vertendnm: se elevan-

tes, vel elevati in altum, eminentes, quae tamen notio substratae materiae convenit, sed commodius derivatur a نصّ extulit, elevavit, unde V. Hebr. esse potest eminuit; ita fere Vulgatus: lapides sancti elevabuntur super terram, nempe tanquam monumenta victoriarum, et trophaea; reliqui antiqui interpretes hariolantur. — עַל אַדְמָתוֹ super terram vel regionem ejus, nempe Dei, seu in Palaestina, non in Persia, aut alibi, has splendidas victorias reportabunt.

Zach. 9, 17.

כִּי מַה־טּוּבוֹ וּמַה־יָּפְיוֹ nam quanta erit felicitas ejus! et quanta ejus claritas! Suffixa masculina non, ut Bauerus opinatus est, ad אַדְמָתוֹ, quod est foemininum, sed ad עַמּוֹ referuntur, ut collective in plurali verti possint. — טוּבוֹ bonitas ejus, substratae materiae repugnat; convenit autem notio Syriacae vocis טוּבָא beatitudo, quae nempe ex bono oritur. Haec vocis notio occurrit quoque Job. 20, 21. 21, 16. Prov. 11, 10. Ps. 128, 5. Ita etiam יָפְיוֹ, pulcritudo ejus, substratae materiae non satis congruit, aptius est consectarium pulcritudinis, nempe nominis claritas, laus, gloria, quae ex felici illa fortitudine bellica oritura erat, et revera orta est, ut Judaei ubique adquirerent proselytos, et gentes finitimae devictae religionem Judaicam amplecti minime detrectarent.

דָּגָן בַּחוּרִים וְתִירוֹשׁ יְנוֹבֵב בְּתֻלוֹת triticum juvenes, et mustum virgines multiplicabit. Multiplicatio populi erat insignis pars felicitatis He-

braeorum, unde patet praecedens מטובו recte versum fuisse felicitas ejus. Cur tritico juvenes, et musto virgines assignentur, in stilo poetico requirendum non est. — Antiqui interpretes vim inferunt verbis, et tamen non extundunt sensum tolerabilem. Paulusius mutat בַּחוּרִים juvenes, electi, in בְּחֹרִים, in foraminibus, quae dicit esse valles; id quidem ingeniosum est, ast quis unquam valles dixit foramina? Ita etiam mutat בְּתוּלוֹת in בְּתִלּוֹת, quod vertit in collibus; ast תֵּל est proprie tumulus ex vastatione et ruderibus ortus Deut. 13, 17. Jes. 49, 2. 30, 18. Jes. 8, 25., et quamvis latius etiam pro colle venit Jos. 11, 13. Ezr. 2, 59. Neh. 7, 61., versio tamen: triticum in foraminibus et mustum germinabit in collibus, ferri non potest, quia יְנוֹבֵב III. transitiva forma: progerminare faciet, multiplicabit, petit Accusativum, qui deest. Nec recte dicitur mustum progerminare. Ubertas quidem innuitur, sed per effectum designatur; ubertate regionis enim multiplicatur populus, uti penuria minuitur. — נוּב et III. נוֹבֵב non tantum est germinare et progerminare, sed etiam augeri et augere, ut Ps. 61, 11., imo quoque loqui Prov. 10, 31., quasi verba ex ore progerminare, quod et affine Aeth. ናባ significat; id adoptavit Bauerus, et, quia non convenit contextui, substituit cantum, ac vertit: triticum faciet cantare etc., quod nimis quaesitum et artificiosum est.

Zach. 10, 1.

Hic versus male abruptus fuit a capite praecedente; agit enim de ubertate, de qua c. 9, 17. sermo erat. שַׁאֲלוּ מֵיְיָ מָטָר בְּעֵת מַלְקוֹשׁ petite a Jehova pluviam tempore serotino. — שַׁאֲלוּ petite, quibusdam videtur יִשְׁאָלוּ, petent, contextui magis convenire; verum Imperativus ab omnibus antiquis interpretibus exprimitur, et etiam orationi addit majorem vim. — עֵת מַלְקוֹשׁ tempus serotinae pluviae, i. e., vernalis, fere circa finem Martii, quo frugibus necessaria est pluvia, ut grana concipiant; לְקַשׁ Syris et Chaldaeis est tardavit, serotinus fuit; لَقَشَ explicatur per يابس بال aridum vetustate. Vernalis pluvia dicitur serotina, quia autumnalis erat prima. Conf. meam Bibl. Archaeol. I. Th. I. B. §. 29. S. 153 — 156.

יְיָ עֹשֶׂה חֲזִיזִים Jehova faciens (erit), i. e., faciet fulmina, nempe praenuncia pluviae, ut Jer. 10, 13. 51, 16. et Ps. 135, 7. dicitur: בְּרָקִים לַמָּטָר עָשָׂה fulgura ad pluviam facit. Thalmudici חֲזִיזִים utuntur de nubibus, quae ad seriem nostrae orationis aptae essent, sed argumentis comprobari nequeunt. Kimchius recte vertit fulmina; male autem derivat a חָזָה vidit, ac si designarentur fulmina eminus visa. Commodiorem derivationem docuit Michaelis in Suppl. ad L. H. p. 705 — 707. a خَزَّ transfodit, transfixitque telo, a quo non procul

distat خَزَ secuit, incidit. Vox non occurrit nisi Job. 28, 26. et 38, 25., et omnibus his locis, in quibus antiqui interpretes inanibus conjecturis indulgent, non nubes, sed fulmina adprime congruunt.

וּמְטַר גֶּשֶׁם יִתֵּן לָהֶם לְאִישׁ עֵשֶׂב בַּשָּׂדֶה et pluviam largam dabit illis, cuilibet gramen in campo. — מְטַר גֶּשֶׁם proprie est pluvia imbris, i. e., pluvia larga; מָטָר Hebr. et Aram. = مطر pluvia, a qua nonnisi largitate distinguitur גֶּשֶׁם imber. — לְאִישׁ viro, partitive cuilibet — עֵשֶׂב, Aram. עִסְבָּא = عشب gramen adultum jam semen concipiens, per quod intelliguntur fruges, circa finem Martii sub illo caelo grana concipientes, ceteris graminibus minime exceptis. Sensus est: quamprimum petituri sunt a Jehova pluviam, exortis nubibus micabunt fulgura, cadent fulmina, et sequetur larga et sufficiens graminibus pluvia, ut nunquam defutura sit ubertas, quae erat alia pars felicitatis Hebraeorum.

Zach. 10, 2.

כִּי הַתְּרָפִים דִּבְּרוּ אָוֶן וְהַקּוֹסְמִים חָזוּ שֶׁקֶר וַחֲלֹמוֹת הַשָּׁוְא יְדַבֵּרוּ הֶבֶל יְנַחֵמוּן quia Theraphim loquuntur falsa, et fatidici vident mendacia, et somnia falsitatem eloquuntur, inaniter consolantur. Apodosis sequitur membro sequenti. Theraphim hoc loco sunt idola, quae fundebant oracula, ut Ezech. 21, 26.; ceterum erat genus penatum Gen. 31, 19. 34. 1 Sam. 19, 13. 16., forma

humana vel fere humana 1 Sam. 19, 13. 16. conf. Jud. 17, 5. 18, 14. seqq. 2 Reg. 23, 24. Hos. 3, 4. et meam Bibl. Arch. III. Th. §. 135. S. 504 — 508. Vox תְּרָפִים convenit cum Syr. תרף percontatus est, unde idola percontantibus respondentia dici potuerunt. — אָוֶן inanitas, peccatum, falsum seu carens realitate, שֶׁקֶר mendacium, et שָׁוְא vanitas, h. l. synonyma sunt, quae falsisatem et fallaciam oraculorum et divinationum exprimunt. Collectiva esse, planum est. — קֹסְמִים divinantes, fatidici, a קָסַם = Syr. קְצַם divinavit, hariolatus est, affine est قسم divisit in partes; astrologi enim coelum, ut notissimum est, in duodecim habitacula, juxta 12 signa Zodiaci, et meteorologi in plures partes diviserunt, de quibus Cicero de Divin. II. 18. p. 679. ed. Ernest. scribit: „coelum in sedecim partes divi„serunt Etrusci... ut ex eo dicerent, fulmen qua ex „parte venisset. ..... Coeli distributio, quam dixi, „et certarum rerum notatio docet, unde fulmen ve„nerit, et quo concesserit; quid autem significet, „nulla ratio docet." Itaque קֹסְמִים proprie essent vel astrologi, vel meteorologi; verum vox multo latius, etiam de necromantis usurpatur, 1 Sam. 28, 8. 6, 2. — חֹזִין vident, nempe mente vel imaginatione, conf. quae supra Dan. 9, 22, de רָאָה diximus. — הֶבֶל a Kimchio exponitur halitus, qui frigido aëre ex ore progrediens cernitur, et mox disparet, ut jam Aquila Eccl. 1, 1. vertit ατμις ατμιδων; itaque vanitas, inanitas, fluxum, fugax, conf. Job. 7, 16. Prov.

21, 6. 31, 30.; cum Beth praefixo, cujus ellipsis hoc loco supplenda est, exprimit adverbium, inaniter, ut Jes. 49, 4. — נחם inusit. = نَحَمَ cum vehementia et in pectore spiritum duxit, unde II. Hebr. נִחַם privat. fecit ut non gemeret, i. e. consolatus est.

עַל־כֵּן נָסְעוּ כְמוֹ צֹאן יַעֲנוּ כִּי אֵין רֹעֶה ideo vagantur sicut oves, opprimuntur, quia non est pastor. Haec est apodosis membri praecedentis. Vagantur Hebraei sicut oves, et opprimuntur. Id adprime convenit temporibus Maccabaeorum, quibus pastores, i. e. reges Syriae, se non reges, sed oppressores Hebraeorum gerebant; uti etiam in praecedentibus membris inanes divinationes, quibus emissarii Antiochi Epiphanis et apostatae Judaei ad idololatriam allicere cultores Jehovae conabantur, commemoratae sunt. Longe aberrant, qui ex his antiquius aevum hujus vaticinii, quando Hebraei adhucdum ad has idololatriae artes proni erant, colligunt; nam reliqua, ut saepe monuimus, illi antiquitati non conveniunt, et aetate quoque Maccabaeorum permulti Hebraei ad inanes has artes et ad idololatriam proclives erant. — נָסַע = نَسَعَ abiit per terram, peragravitque eam, Hebraeis inprimis de migrationibus nomadum usitatum est, rarius cum نَزَعَ evulsit, detraxit, dimovit, convenit, ut Jud. 16, 3. 14. Jes. 33, 20. — עָנָה = عَنَا oppressus, supplex, demissus fuit, conf. quae dixi-

mus ad c. 9, 9. — אֵין רֹעֶה non est, vel nihil est pastor, seu, ut Chaldaeus recte reddit, rex; nempe deest rex, qui officio satisfaciat, et hoc nomine dignus sit. — Vertimus cum Chaldaeo hunc versum in Praesenti, reliqui autem antiqui interpretes in Praeterito, quod tolerari posset, nisi in sequentibus de futuro sermo esset.

Zach. 10, 3.

עַל־הָרֹעִים חָרָה אַפִּי וְעַל־הָעַתּוּדִים אֶפְקוֹד super pastores exardebit ira mea, et in hircos animadvertam. Uti pastores sunt reges: ita hirci, qui gregem praecedunt, Jes. 14, 9. Jer. 50, 8., sunt inferiores magistratus, duces et gubernatores populi, sicut in Bibl. Arch. I. Th. I. B. §. 51. S. 251. exposuimus. Pastores sunt Antiochus Epiphanes et successores ejus; hirci autem duces et magistratus ab illis designati. Tropi hi apud Hebraeos, qui vitam pastoralem et animalia haec magni aestimabant, suam habebant dignitatem. — רֹעִים Chaldaeus, uti plerumque, sublato tropo, recte reddit מַלְכַיָּא reges, hic enim constans est in Veteri Foedere hujus tropi usus. — Exardebit ira mea, i. e. puniam. — עַתּוּד = عَتُود caper juvencus, hoedusque robustior, jam pastum incedens, scilicet anniculus. Hebraeis autem latiori quoque notione venit, ab عَتُدَ paratus fuit, Syris fecit, condidit, praesto fuit, disposuit, et in pass. II. paratus fuit. — فَقَدَ = פָּקַד frustra quaesivit nec invenit (vermissen), desideravit; hinc Hebr. et

Aram. intentius aspexit, uti in lustratione exercitus, saepius aspexit seu desideravit; praecepit, praefectum constituit, quasi inspectionem mandavit; unde porro respexit ut puniat, seu animadvertit, et respexit ut benefaciat, seu benigne respexit; quorum prius h. l., alterum sequenti mox membro obtinet.

כִּי פָקַד יְיָ צְבָ׳ אֶת־עֶדְרוֹ אֶת־בֵּית יְהוּדָה וְשָׂם אוֹתָם כְּסוּס הוֹדוֹ בַּמִּלְחָמָה nam Jehova omnipotens respiciet gregem suum, domum (populum) Juda, et faciet eos sicut equum, cujus laus est in bello, sicut c. 9, 13 — 16. populum Juda fecerat praegrandem arcum bellicum; unde apparet, et hic et ibi de eodem bello contra Graecos in Syria esse sermonem; quare pastores et hirci non sunt alii, quam reges et magistratus Syro-Macedones aetate Maccabaeorum, atque id etiam eo magis confirmatur, quod ipsis opponitur grex Jehovae, populus Juda. — Similitudo cum equo bellico, qui in praelio non pugnat, duntaxat in laude invenitur. — עֵדֶר grex, qui prius nomine collectivo צֹאן comprehendebatur; a غدر retro mansit ovis a grege separata, et perfidus fuit. — אוֹתָם suffixum plurale respicit ad collectivum עֵדֶר et עַם. — Cujus laus, הוֹדוֹ proprie laus ejus, omisso Relativo אֲשֶׁר; Nomen הוֹד abbreviatum est ab הוֹדָה confessus est, laudavit, gratias egit, IV. a יָדָה jecit, de quo ad Dan. 9, 3. plura diximus.

Zach. 10, 4.

מִמֶּנּוּ פִנָּה מִמֶּנּוּ יָתֵד מִמֶּנּוּ קֶשֶׁת מִלְחָמָה מִמֶּנּוּ יֵצֵא כָל־נוֹגֵשׂ יַחְדָּיו ex ipso angulus, ex ipso clavus; ex ipso arcus bellicus, ex ipso simul omnis imperator prodibit. — Ex ipso, qui v. 3. memoratus est grex et populus Juda, seu qui olim regnum Juda constituebat, nempe ex tribu Juda, Benjamin et Levi. — פִּנָּה angulus, qui in aedificio habebatur pars praecipua; hinc tropice vir, in quo nititur salus civitatis, insignis, praecipuus, seu imperator, dux; a פָּנָה faciem vertit, se vertit, ut aedificium in angulo. — יָתֵד clavus, paxillus, = وَتِدٌ et وَتْدٌ palus, paxillus, et in plurali أَوْتَادٌ paxilli, et tropice non tantum montes, quasi grandes paxilli terrae, sed etiam proceres et capita civitatis; adeoque nostro loco praefecti militares. Chaldaeus, qui מְשִׁיחֵיהּ vertit, oblitus est loci Jes. 22, 23., ex quo manifestum est, clavum tropice minime esse regem. — קֶשֶׁת מִלְחָמָה Chaldaeus reddit: תְּקוֹף קְרָבֵיהּ vis belli ejus, fortasse indicatur exercitus, quem Arabes respiciunt ut arcum bellíducis, prout supra ad c. 9, 13. diximus. Exercitus apte convenit sequenti נוֹגֵשׂ, qui h. l. non potest esse alius quam imperator exercitus, conf. Jes. 3, 12. 14, 2. 60, 17., qui prius angulus dictus fuit; Syrus et Chaldaeus recte collective intellexerunt; vertunt enim, ille שִׁלְטוֹנֵיהוֹן dominatores eorum, et hic פַּרְנְסוֹהִי pastores, seu gubernatores ejus.

Aetate Maccabaeorum imperatores et praefecti militares, ac primum quidem ipse quoque exercitus erant ex populo Juda, i. e., ex tribubus Juda, Benjamin et Levi, donec tandem accederent reliquae tribus, qui in Galilaea et Gileatitide sedes fixerant, ut v. 6, 7. dicetur. Summos imperatores fore ex tribu Levi et familia Aharonis, non attingitur; ast Zacharias jam c. 6, 9 — 16. pontifici Josuae praeter diadema sacerdotale etiam diadema regium promisit, et ita jam annunciavit, quae tribus et familia primas obtentura esset.

Zach. 10, 5.

וְהָיוּ כְגִבֹּרִים בּוֹסִים בְּטִיט חוּצוֹת בַּמִּלְחָמָה et in praelio erunt sicut heroes, (sicut) conculcantes lutum platearum. Hanc, quam in hac versione expressimus, esse sententiae structuram, et ante בּוֹסִים supplendam esse ellipsim praefixi Caph, cuilibet consideranti patebit. — בּוֹסִים est pro בָּסִים (ut 2 Sam. 18, 31. הַקּוֹמִים pro הַקָּמִים) a בּוּס Hebr. et Chald. calcare, conculcare, Jes. 63, 6. 14, 26.; non longe abest بَاسَ med. Je superbum insolentemque se gessit adversus alios, eosque injuria et noxa affecit.

וְנִלְחֲמוּ כִּי יי׳ עִמָּם et praeliabuntur, quia Jehova erit cum ipsis; feliciter nempe praelia committent, quia Deus illis assistet, et ita victores redibunt; de victoria enim persaepe venit phrasis: Deus erat nobiscum. Chaldaeus: אֲרֵי מֵימְרָא דַיי׳ בְּסַעֲדְהוֹן quia verbum Jehovae erit eis auxilio.

וְהֹבִישׁוּ רֹכְבֵי סוּסִים et confundent vectos equis. De הֹבִישׁ supra c. 9, 5. diximus, et annotavimus quidem, etiam notione intransitiva venire, sed nostro loco, quo parallelum est praecedenti נִלְחֲמוּ, transitive de praeliantibus Judaeis dicitur, et male interpretes antiqui verterunt: confundentur vecti equis. — Judaeos aetate Maccabaeorum confudisse non raro equitatum Syrorum, legimus 1 Macc. 3, 39 — 4, 24. et 4, 26 — 35.

Zach. 10, 6.

וְגִבַּרְתִּי אֶת־בֵּית יְהוּדָה וְאֶת־בֵּית יוֹסֵף אוֹשִׁיעַ וְהוֹשְׁבוֹתִים כִּי רִחַמְתִּים corroborabo enim domum Juda, et salvabo domum Joseph, et loca reductis habitanda dabo, quia miserebor eorum. Ex distinctione domus (seu populi) regni Juda a domo (seu populo) regni Joseph seu Israel, minime sequitur, vaticinium esse ex aevo, quo regnum Juda adhuc subsistebat; necessaria enim erat haec distinctio, ubi praedicendum fuit, quid alterutri populo aliquando continget, prout et contigit aetate Maccabaeorum, qua populus antiqui regni Juda primas tenuit in bellis, et salvavit demum populum antiqui regni Israel, qui in Galilaea et Gilead sedes fixerat, et, ut eos a gentibus tutos praestaret, deduxit in Judaeam, eisque hic sedes assignavit, ubi eos propiores defendere et tueri posset, ut narratur 1 Macc. 5, 9 — 54. — הוֹשְׁבוֹתִים ex הוֹשִׁיב (a יָשַׁב habitavit) fecit habitare, et הֵשִׁיב (a שׁוּב reverti) fecit reverti, seu reduxit, conjunctim itaque est: reducam et faciam habitare. Artificiosa

duorum Verborum in unam formam compositio, a nullo antiquo interprete expressa, suspecta videri potest; nihilominus codices parum variant: codd. de Rossiani 4, pr. 3, et nunc 2 habent והושבתים et faciam habitare eos, quod exprimit Alexandrinus: κατοικιω αυτες; codd. 2. exhibent וַהֲשִׁיבֹתִים et reducam eos, quod exprimit Syrus, Chaldaeus et Vulgatus; quod alii codd. 9, pr. 1., sistunt והשבתים, utroque modo legi potest. Hae variationes sensum parum mutant.

וְהָיוּ כַּאֲשֶׁר לֹא זְנַחְתִּים כִּי אֲנִי יְיָ אֱלֹהֵיהֶם וְאֶעֱנֵם et erunt, ac si nunquam rejecissem eos; nam ego Jehova ero Deus eorum, et exaudiam eos, ego exaudiendo eos, et beneficia petita eis praestando, ostendam me esse beneficum eorum Deum, et eos in libertatem vindicabo, ac si eam nunquam amisissent. — זָנַח = زَنِخَ corruptum, rancidum fuit, foetuit Hos. 8, 5. Jes. 19, 6., dein Hebr. etiam rejecit tanquam corruptum. Rejecit Deus Hebraeos, quando in exilium deportati sunt. — וְאֶעֱנֵם et exaudiam eos, nempe opere ipso, praestando bona, quae petunt, ab עָנָה = عَنَا respexit, respondit, et votis respondit, i. e. exaudivit, ut جَابَ secuit, in III. respondit, et in X. respondit, exaudivit.

Zach. 10, 7.

וְהָיוּ כְגִבּוֹר אֶפְרַיִם וְשָׂמַח לִבָּם כְּמוֹ יָיִן demum Ephraimitae erunt sicut heroes, et laetabitur cor eorum sicut a vino (laetari solet).

Collectivum Ephraim construitur cum Verbo plurali הָיוּ. — Posteri decem tribuum (a posteris regni Juda ex Galilaea et Gileatitide in Judaeam deducti 1 Macc. 5, 9 — 54.) arreptis armis fortitudine bellica excellent, quod, etsi historia non memorat, factum esse, nemo non facile credet. Ellipsis praefixi Mem ante יַיִן jam ad c. 9, 15. annotata est; ellipsis altera, sicut cor a vino nempe recreatum laetari solet, se ipsa offert.

וּבְנֵיהֶם יִרְאוּ וְשָׂמֵחוּ יָגֵל לִבָּם בַּיי׳ etiam filii eorum videbunt, et laetabuntur, et exsultabit cor eorum de Jehova. Posteri eodem beneficio et gaudio fruentur. Beneficium collatum erit stabile et durabit. Frequens phrasis: exsultare et laetari in Jehova, בַּיי׳, idem est ac laetari super Jehovam vel de Jehova adeo clemente, benigno et benefico Domino, conf. meam Gramm. L. H. §. 118. p. 400. Nro. 8 et p. 405. N. 15. Chaldaeus habet בְּמֵימְרָא דַיי׳ in vel de verbo Jehovae. — Vau ante בְּנֵיהֶם, etiam, ut Lev. 7, 16. Num. 18, 26. 19, 15. 36, 4. — יָגֵל, pro יָגִיל, a גִּיל, de quo c. 9, 9. diximus.

Zach. 10, 8.

אֶשְׁרְקָה לָהֶם וַאֲקַבְּצֵם sibilabo eis, et congregabo eos. — שָׁרַק, ut Syr. III. אַשְׁרֵק, sibilavit, et cum Lamed praefixo constructum sibilando advocavit, ut apes, muscas, et etiam homines, Jes. 2, 6. 7, 18. Concessa victoribus felicitate Deus alliciet alios, in regnis confinibus morantes Hebraeos, ut in patriam redeant, quod clarius et verbis propriis expressum sequitur v. 10.

כִּי פְדִיתִים וְרָבוּ כְּמוֹ רָבוּ nam liberabo eos, et multiplicabuntur, sicut multi erant. — פָּדָה = فدى proprie lytro soluto redemit, et dein latius pro liberatione usurpatur. — רָבוּ כְּמוֹ רָבוּ simile est Exod. 3, 14. אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה ero qui eram. Multiplicati omnino sunt, ut olim multi erant, prout ad v. 10. infra ostendemus.

Zach. 10, 9.

וְאֶזְרָעֵם בָּעַמִּים וּבַמֶּרְחַקִּים יִזְכְּרוּנִי וְחָיוּ אֶת־בְּנֵיהֶם וָשָׁבוּ disseminabo quidem eos inter gentes, sed in longinquis (regionibus) mei memores erunt, et felices vivent cum filiis (posteris) suis; demum revertentur. Judaeos progressu temporis in remotiores semper regiones penetrasse, partim quoque a regibus Syriae et Aegypti, ob religiosam jurisjurandi observationem, in dissitas, de fide suspectas urbes missos fuisse, atque ibi quoque Deum constanter coluisse; ex historia constat; horum non paucos demum, audita felici armorum sorte in Judaea, in patriam rediisse, credibile est, et ad v. 10. ex facto patebit. יִזְכְּרוּנִי memores mei erunt, non colent alios deos, sed religionem Jehovae constanter tenebunt. — חָיָה vixit, et feliciter vixit, ut Deut. 8, 1. Job. 21, 7. Ps. 22, 27. 69, 33. 119, 17. et a. l. — אֶת ante בְּנֵיהֶם esse cum, contextus proximus docet, uti et Gen. 15, 18. 37, 2. Exod. 1, 1. 2 Reg. 16, 16. et a. l.

Zach. 10, 10.

וַהֲשִׁיבוֹתִים מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם וּמֵאַשּׁוּר אֲקַבְּצֵם reducam enim eos ex regione Aegypti, et

ex Assyria congregabo eos. Conf. supra c. 10, 8. Omissio Babyloniae et Persiae non arguit, vaticinium esse antiquius, quia etiam Media omissa est, in qua erant exules decem tribuum, et nominata est Aegyptus, in qua tum non erant exules. Nomine Assyriae venit h. l. Syria, quae quondam erat pars magnae monarchiae Assyriaeae, cujus nomen a scriptoribus profanis, ut notum est, et etiam a Jesaia 51, 4. pro Babylonia usurpatur, uti vicissim nomen אֲרָם olim Syriam, Mesopotamiam et Assyriam complectebatur, sicut in Bibl. Arch. I. Th. I. B. §. 12. S. 50 — 54. docui. Vaticinium, ex Aegypto et Syria redituros promittit Hebraeos, quia finitima Palestinae erant regna, ex quibus reduces futuri erant frequentiores. Permultos, audita felicitate patriae, reapse reversos esse, recentior historia docet; nam Gilead et Baschan in bello Judaico incolis Hebraeis completa erat, ut Josephus de B. J. II. 3, 3. IV. 1, 1 — 10. 7, 3 — 6. 8, 1. testatur; Galilaea autem, referente eodem Josepho in Vita sua 45. et de B. J. III. 3, 2. numerabat 204 urbes et vicos, quorum minimi ultra 15000 incolarum alebant; atque ipse Josephus in hac exigua provincia exercitum 100000 virorum conscripsit. Conf. Lefs Opuscula 1780. Goett. p. 378 — 380.

וְאֶל־אֶרֶץ גִּלְעָד וּלְבָנוֹן אֲבִיאֵם וְלֹא יִמָּצֵא לָהֶם et in regionem Gilead et Libani adducam eos, ut non inveniatur eis, nempe, locus, ut Vulgatus ellipsim supplet; Chaldaeus et Syrus: non sufficiet vel sufficient eis; Alexandrinus vero dormitavit, cum vertit: et nullus deerit. Quae

mox de populatione Gilead et Galilaeae, quae apte regio Libani (ipsi imminentis) dicitur, adduximus, complementum hujus vaticinii abunde comprobant. Si haec, ut quipiam contendunt, scripta sunt aetate Hasmonaeorum, cur nihil de reditu Israelitarum in montana Israel seu Samariam? fortasse quia jam habitata erat? ast non ab Israelitis, sed ab exosis Samaritanis. Qui autem opinantur, haec exarata fuisse ante exitium Babylonium, deportatis incolis Galilaeae et Gilead, ipsi repugnant sibi, quia alias asserunt, Prophetas de temporibus adeo remotis non cogitasse. Quodsi reponant, scriptorem de propinquiori tempore cogitasse, et scripsisse, quae illo tempore non fuerunt opere completa, viderint, an hoc non sit idem, ac rem auctoritate sua definire, ne dicam esse idem, ac claudere oculos, ut dicere possis, esse tenebras, aut saltem, rei, quae illustrari potest et illustratur, tenebras offundere.

Zach. 10, 11.

וְעָבַר בַּיָּם צָרָה וְהִכָּה בַיָּם גַּלִּים וְהֹבִישׁוּ כֹּל־מְצוּוֹלוֹת יְאֹר tum transibunt mare angustum, prosternent in mari fluctus, et exsiccabuntur omnes profunditates fluvii. Imago a transitu Hebraeorum per sinum Arabicum et fluvium Jordanem desumta, qua non amplius exprimitur, quam omnia reditus impedimenta removenda fore. יָם צָרָה mare angustum est sinus Arabicus, qui Hebraeis, olim ex Aegypto egredientibus, non fuit impedimento. Ad עָבַר intelligendus est Nominativus עַם, vel impersonaliter capiendum transibitur, man wird

durchsiehen. — וְהִכָּה et percutiet, nempe vel Deus vel potius populus, vel impersonaliter percutientur, a נָכָה de quo alibi dictum est. — גַּלִּים fluctus, a גָּלַל volvit, Syr. convolutus est, جَلَّ magnus, illustris fuit. — הֹבִישׁוּ intransitive exsiccabuntur, a יָבֵשׁ siccus, aridus fuit, conf. dicta ad c. 9, 5. — מְצוּלָה, ut צוּלָה, profunditas, aliquatenus convenit ضَلَّ non solum deviavit, aberrravit, periit, mortuus est, sed etiam latuit, abditus fuit, in IV. pass. sepultus, humatus fuit. — יְאֹר origine vox Aegyptiaca, dialecto Memphitica ιαρο, et Sahidica ιερο vel ειερο fluvius, quo appellativo nomine Aegyptii unicum regionis fluvium, Nilum, designabant, conf. La Croce in Lex. p. 186. Georgi Fragm. Liturg. p. 320 — 321. Jablonsky Pantheon T. II. L. IV. c. 1. §. 2. p. 142 — 143. Recentiori aevo, primaeva nominis vi detrita, etiam alii fluvii dicebantur יְאֹר, ut Dan. 12, 5 — 7. Nostro loco Jordanes hoc nomine venit, qui Hebraeis Canaan ingressuris non erat impedimento.

וְהוּרַד גְּאוֹן אַשּׁוּר וְשֵׁבֶט מִצְרַיִם יָסוּר etiam celsitudo Assyriae dejicietur, et Aegypti sceptrum recedet. Assyria, ut supra diximus, venit pro Syria. Huic et Aegypto Judaei, dilacerata Monarchia Alexandri, paruerunt, primum quidem fere 140 annos regibus Aegypti, et demum regibus Syriae, Joseph. Archaeol. XII. 2, 3. 4, 7 — 10., atque ab Antiocho III. bene habiti, sed demum ab Antiocho Epiphane pessime afflicti sunt. Utrumque hoc regnum deprimetur et peribit. Propheta haec

duo regna neutiquam clare et historice cogitavit, sed scripsit, quod divinitus didicerat. — הוּרַד, ut Jes. 14, 11. cum supplemento ellipseos de regno Babyloniae: הוּרַד שְׁאוֹל גְּאוֹנֶךָ praecipitata est celsitudo tua in orcum, i. e. regnum tuum eversum est; est IV. pass. a יָרַד = ورد descendit. — גָּאוֹן celsitudo, et שֵׁבֶט sceptrum, sibi respondent, et idem exprimunt. Alexandrinus גָּאוֹן vertit ὕβρις, quae solet esse effectus celsitudinis.

Zach. 10, 12.

וְגִבַּרְתִּים בַּיי׳ וּבִשְׁמוֹ יִתְהַלָּכוּ נְאֻם יי׳ nam corroborabo eos per Jehovam (per me), et in nomine ejus (meo) ambulabunt, est effatum Jehovae. Ambulare venit pro agere, adeoque sensus est: in nomine meo agent, seu gerent bella. Maccabaeos prae reliquis omnibus in nomine Dei, seu ad tuendam religionem suam bella contra Syro-Macedones gessisse, monitione non indiget. Notionem tropicam verbi ambulare, etsi usu valde tritam, nullus antiquorum observavit; Alexandrinus vertit: κατακαυχήσονται; Syrus: נסַברון sperabunt; Vulgatus: ambulabunt.

His desinit vaticinium de bellis Maccabaeorum et liberatione Hebraeorum ab alieno imperio; nunc itaque ordine temporis sequi deberet, ut supra diximus, vaticinium de Messia, qui autem jam c. 9, 9 — 10., apte oppositus fuit Alexandro. Hinc nunc mox sequitur vaticinium de secundo Messiae adventu, seu de bello Judaeorum contra Romanos, et primum quidem

sistitur generatim imago internecionis et vastationis v. 1 — 3.; subjungitur v. 4 — 14. visio, qua postremus reipublicae status adumbratur, nempe rerum omnium perturbatio, gentium finitimarum in Judaeos impetus, oppressio populi, atrocia regulorum seu ducum invicem certamina, et denegatio omnis auxilii divini. Denique altera visio v. 15 — 17. sistit perversitatem regulorum seu ducum, qui populum perdent, et ipsi quoque peribunt.

Zach. 11, 1.

פְּתַח לְבָנוֹן דְּלָתֶיךָ וְתֹאכַל אֵשׁ בַּאֲרָזֶיךָ aperi, Libane! portas tuas, et consumet ignis cedros tuas. — פְּתַח aperi, Imperativus vim orationi conciliat, venit autem pro Futuro; פְּתַח Hebr. et Aram. = فَتَحَ aperuit. = דְּלָתֶיךָ portas tuas, a דֶּלֶת, quod in sola Thalmudica dialecto superest. Portae Libani proprie sunt aditus, per quos in praerupta montium horum juga penetrari potest. Ignis, cedros consumturus, est imago hostium, uti et Libanus est imago alicujus regni, reipublicae vel civitatis, et portae designant vel limites regionis, vel portas civitatis. Qui Syriam indicari opinantur, existimant, haec cohaerere cum praecedentibus, etsi materia substrata tristis et lugubris priori vaticinio, laeta promittenti, est omnino contraria. Libanus autem, Syriae quidem pars, sed, ut imago, non necessario indicat Syriam. Qui nihilominus situm hujus montis urgent, meminerint, mox v. 2. memorari quercus Baschan, et v. 3. gloriam Jordanis, quae ad regionem

Hebraeorum pertinent. Atque eodem modo Jer. 22, 6. 20 — 23. sedes regum Juda dicitur Libanus, Gilead et Baschan, conf. Hermeneut. §. 37. p. 113 — 114. Cum denique in sequentibus v. 4 — 17. quaepiam generalia hujus imaginis v. 1 — 3., singillatim adumbrantur, omnia bellum Judaicum contra Romanos, et internum reipublicae Judaicae statum sistere deprehenduntur, ut dubitari non possit, Libanum esse imaginem civitatis seu reipublicae Judaeorum.

Zach. 11, 2.

הֵילֵל בְּרוֹשׁ כִּי נָפַל אֶרֶז אֲשֶׁר אַדִּירִים שֻׁדָּדוּ ejulate abietes, quia cadunt cedri, quarum excellentissimae evertuntur. In Praesenti vel Futuro vertendum esse, docet versus praecedens. בְּרוֹשׁ abies, et אֶרֶז cedrus, collectiva esse, ex versu praecedenti, ubi cedri occurrunt, colligitur, et confirmatur ex sequenti Plurali אַדִּירִים excellentes vel magnificae, seu excellentissimae, magnificentissimae; vocem enim hanc etiam de inanimatis usurpari, adeoque ad cedros pertinere, liquet ex Exod. 15, 10. Ps. 93, 5. et Ezech. 17, 23., ubi de ipsis cedris occurrit; tropice autem venit pro insignibus et eminentibus viris, Jes. 2, 13. — שֻׁדָּדוּ II. pass. a שָׁדַד vastavit, evertit, cui propinquum est شدّ ligavit, constrinxit, et incurrit, irruit. Abietes, sicut cedri, sunt imagines potentium et insignium virorum.

הֵילִילוּ אַלּוֹנֵי בָשָׁן כִּי יָרַד יַעַר הַבָּצוֹר ejulate quercus Baschan, quia dejicitur sylva mu-

uita. Quercus Baschan, alia imago insignium virorum civitatis. — יָרַד descendit, etiam decidit, praecipitatus, dejectus fuit, ut Deut. 28, 52. 20, 20. — Pro הַבָּצוּר K'ri jubet legi הַבָּצִיר, utrumque significat munitum, vel substantive usurpatum, munimentum; sylva munimenti est sylva munita, et hanc esse imaginem urbis Jerusalem, quae etiam Ezech. 21, 2. יַעַר בַּשָּׂדֶה dicitur, planum est, conf. Mich. 7, 14. Huic significationi imaginis adprime conveniunt, quae v. 4 — 17. sequuntur.

Zach. 11, 3.

קוֹל יִלְלַת הָרֹעִים כִּי שֻׁדְּדָה אַדַּרְתָּם. vox ejulatus pastorum (auditur), quia gloria eorum vastatur. — אַדַּרְתָּם ab אַדֶּרֶת, cujus notio quidem Jos. 7, 21. 24. Jon. 3, 6. est genus vestis pretiosae, et Gen. 25, 25. 1 Reg. 19, 13. 19. 2 Reg. 2, 8 — 14. vilioris; fortasse pelliceum, quod jam pretiosum; jam vile erat; significare autem etiam magnificentiam, gloriam, decorem, non solum ex Ezech. 17, 8., sed etiam ex Verbo in forma IV. et VII. patet. Schultensii derivatio ab أدر violenta et artificiosa est; nam hoc verbum cum omnibus derivatis ad herniam refertur, unde notio intumuit, quae ad magnificentiam translata sit, non sine vi extundi potest. Gloria vel magnificentia aut decor pastorum, sunt pascua, de quibus gloriabantur, in quibus se magnificos censebant, quae sibi decori ducebant, verbo, urbs Jerusalem. Ita dux seditiosorum Johannes Gischalenus, ex Galilaea a Tito fugitivus, Jerosolymi-

tanorum spem contra Romanos ex eo accendere conabatur, ὡς ἐδ᾽ αν πτερα λαβοντες ὑπερβαιεν ποτε Ρωμαιοι το Ιεροσολυμων τειχος, ut Josephus de B. J. IV. 3, 1. refert, qui V. 9, 2. rursus narrat, seditiosos Jerosolymis jam arcte conclusos, e moenibus Tito occlamasse, templum a Deo servatum iri, qui ipsum incoleret; ac VII. 2, 1. rursus narrat, illum Johannem Gischalenum, ducem seditiosorum, Josepho deditionem suadenti e moenibus respondisse, nunquam excidium esse metuendum, utpote quod Dei civitas esset, ὡς ἐκ αν ποτε δεισειεν ἁλωσιν, θεȣ γαρ ὑπαρχειν την πολιν.

קוֹל שַׁאֲגַת כְּפִירִים כִּי שֻׁדַּד גְּאוֹן הַיַּרְדֵּן vox rugitus leonum, quia magnificentia Jordanis vastatur. — שָׁאַג rugiit leo, dialectis ignotum, sed notio ex frequentiori usu cognita. — כְּפִיר leo juvenis adultus, qui jam praedam capit, et qui Ezech. 19, 2 — 3. 5 — 6. est imago regis juvenis, alias autem etiam inimicorum atrocium. Magnificentia, celsitudo Jordanis sunt arbusta, quibus ripae Jordanis superbiunt, et in quibus etiam leones latibula quaerebant, Jer. 12, 5. 49, 19. 50, 44. conf. meam Bibl. Arch. I. Th. I. B. §. 22. S. 128. et §. 24. S. 133., adde Führer von Haimendorf Reis. S. 235. Troilo Reis. S. 446. Lusignan Reis. S. 145 — 146. Haec Jordanis magnificentia respondet gloriae pastorum prioris membri; planities enim Jordanis, maxima parte sterilis, nonnisi ad pascua erat idonea.

Itaque et gloria pastorum, et magnificentia Jordanis, Jerusalem significat.

Imago, his tribus versibus adumbrata, seu potius quod hac imagine adumbratur, convenit cum vaticiniis Malachiae et Danielis de vastatione regionis et Jerosolymorum.

Zach. 11, 4.

כֹּה אָמַר יי׳ אֱלֹהָי רְעֵה אֶת־צֹאן הַהֲרֵגָה sic ait Jehova Deus meus: pasce oves occisionis, i. e. neci destinatas, seu quae occidentur. — Visionem narrari, eo facilius observamus, quod visiones nostro Prophetae familiares sunt, c. 1, 7—6, 8. Ad quem Deus loquatur, expressum quidem non est, sed ad Zachariam loqui, apparet ex v. 15., ubi Deus ait ad Prophetam, ut porro induat personam pastoris stulti, unde consequitur, ipsum hic jam gessisse personam pastoris probi et boni. Jubetur autem Propheta h. l. gerere personam regis supremi, qui alios reges exauctorandi jus habet v. 8., et cujus merces reputatur merces Dei v. 13., unde patere arbitror, Messiam esse, cujus personam induere jubetur; nam hunc sisti regem supremum, imo etiam legatum illum divinum, supra in Malachia et Ps. 110. observavimus. — רְעֵה pasce: i. e. rege, guberna, i. e., rex esto. — הֲרֵגָה occisio, ab הָרַג Hebr. et Chald. occidit, a quo non longe abit هرج non solum multus fuit, sed etiam tumultuati sunt seditione, aut caede mistifuerunt. — צֹאן proprie collective oves, ut ضاين, plur. ضان et

ضان, lanigerum pecus; hic tropice de populo dici, per se intelligitur.

Zach. 11, 5.

אֲשֶׁר קֹנֵיהֶן יַהַרְגֻן וְלֹא יֶאְשָׁמוּ quas emtores impune occidunt. Oves occidere, culpa quidem et poena vacat, si modo sunt oves propriae; verum respicitur ad homines, qui ovibus significantur, et pro lubitu occiduntur ab illis, qui potestate in eos potiuntur. אֲשֶׁר קֹנֵיהֶן quas ementes eas, i. e. quas qui emunt, seu emtores. — לֹא יֶאְשָׁמוּ non delinquunt, antecedens pro sequenti, non puniuntur, seu inpunes manent, ut אָשַׁם aliis etiam locis usurpatur, Ps. 5, 11. 34, 22. Jes. 24, 6. Joel 1, 18.

וּמֹכְרֵיהֶן יֹאמַר בָּרוּךְ יי׳ וַאעְשִׁר et venditores earum dicunt: Jehovae sint laudes, nam ditatus sum. — מֹכְרֵיהֶן vendentes eas, seu venditores, a מָכַר vendidit, Syr. desponsavit, i. e. vendidit filiam sponso; مكر machinatus est, struxit dolum, quod in venditione persaepe fit. — יֹאמַר singularis cum Nominativo plurali partitivum sensum fundit: quilibet eorum dicit. — בָּרוּךְ יי׳ benedictus sit Jehova, idem ac: Deo sint laudes; ex hac formula liquet, Hebraeos esse hos venditores, uti in bello cum Romanis erant. אַעְשִׁיר IV. intransitive, et Aoristus II. in Praeterito vertendus: ditatus sum, vel in Praesenti: dives fio, ditor, ut Prov. 10, 4. 21, 17. 23, 4., ab עָשַׁר, Aram. עֲתַר. dives fuit, a quo procul distat عثر caespitavit. Praefixum Vau esse caussale, contextus clamat.

וְרֹעֵיהֶם לֹא יַחְמוֹל עֲלֵיהֶן et pastores earum non parcunt eis. — רֹעֵיהֶם suffixum masculinum loco foeminini, quod non est rarum; pastores earum sunt illi emtores et venditores, seu proprie reguli, qui potestate in populum potiuntur et abutuntur. — לֹא יַחְמוֹל non parcit, cum Nominativo plurali, constructio partitiva, pro non parcunt; inest autem μείωσις, et sensus est: pessime tractant, ut ex v. 6 et 16. apparet.

Zach. 11, 6.

כִּי לֹא אֶחְמוֹל עוֹד עַל־יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ נְאֻם־יי וְהִנֵּה אָנֹכִי מַמְצִיא אֶת־הָאָדָם אִישׁ בְּיַד רֵעֵהוּ וּבְיַד מַלְכּוֹ וְכִתְּתוּ אֶת־הָאָרֶץ וְלֹא אַצִּיל מִיָּדָם nam non parcam porro incolis regionis, est effatum Jehovae, sed tradam homines alterum in manum alterius, et in manum regis sui, qui contundent regionem, nec eripiam de manu eorum. — אָנֹכִי מַמְצִיא ego faciens pertingere vel venire, i. e. tradam vel relinquam, a מָצָא quod non solum est invenit, et, ut Syr. ܡܨܐ, potuit, sed etiam pertigit, venit, ut Syr. ܡܛܐ. — הָאָדָם collectivum esse, monitione vix indiget. — וּבְיַד מַלְכּוֹ et in manum, seu in potestatem regis sui, unde liquet, plures fore, qui se pro rege gerent, et asseclas suos habebunt, ut in bello contra Romanos contigit. — כִּתַּת et II. כָּתַת contudit, ut proprie dicitur 2 Reg. 18, 4. 2 Paral. 34, 6. Mich. 1, 7., et improprie de hominibus etiam pereuntibus in bello Jer. 46, 5. Deut. 1, 44. Ps. 89, 24.; ܟܬܬ

praeter alia etiam male fecit, coëgit invitum. — הָאָרֶץ regionem, pro incolis regionis, quibus primo membro Deus jam non velle parcere, seu quos jam non porro velle protegere et tueri, edixit. Contundent incolas regionis, i. e., exagitabunt, affligent et perdent. — אַצִּיל eripiam, IV. a נָצַל inusit. = نَصَلَ excidit loco suo, et نَصَّلَ exemit. — Hoc versu proprie exprimitur, quod v. 5. inproprie dictum fuit. Haec parum conveniunt ultimis temporibus regni Israel, de quibus aliqui explicare tentarunt; ast tempora belli contra Romanos insignibus notis adumbrant, quibus dissoluto civili ordine omnia erant perturbata, plures se duces praebebant consceleratorum hominum, latronum et sicariorum, et se pro regibus gerebant; celeberrimos nominat Josephus Johannem Gischalenum, Simonem, et Eleazarum, qui populum et primores vexabant et perdebant, et inter se invicem armis decertabant, atque ita et suos ipsi asseclas contundebant, Conf. Joseph. de B. J. IV. 7, 1—2. 9, 3—8. 10—12. V. 1, 2—6. Proderit aliqua loca adducere; ita scribit de B. J. IV. 3, 2.: „singulas ci-„vitates tumultus bellumque intestinum exagitabat, et „quotquot a Romanorum vi respirarent, in se mu-„tuo manus convertebant. Erat autem inter belli „amatores ac pacis cupidos gravis contentio, ac pri-„mo quidem in familiis olim non consentientium ac-„cendebatur rixandi studium; deinde populi amicis-„simi inter se dissidentes, et ad eos quisque, qui ea-

„dem secum sentirent, convenientes, simul ac multi-
„tudinem coëgissent, sibi invicem aperte adversaban-
„tur. Et discordia quidem ubique gliscebat, rerum
„autem novarum et armorum cupidi juventute et au-
„dacia praevalebant senibus et prudentibus. Primo
„autem rapiendi quidem licentiam exercebant indige-
„narum singuli; dein compositis agminibus per terri-
„torium latrocinabantur, adeo ut immanitate et ini-
„quitate quod ad ipsos, nihil interesset inter Roma-
„nos et contribules, iisque quos populabantur, levius
„videretur exscindi a Romanis etc." Rursus IV.
5, 3.: „multi tam Zelotae, quam Idumaei, populum,
„veluti animalium profanorum gregem, adorti jugula-
„bant. Et vulgus quidem, ubicunque deprehensum,
„trucidabatur; nobiles vero et adolescentes, quotquot
„caperent, vinctos in carcerem concludebant, fore
„sperantes, ut nonnullos nece dilata sibi adjunge-
„rent. ... Graves autem angores sustinebant, quod
„ab illis stare recusarent, flagris et tormentis vexati;
„cumque corpus non amplius ferendo esset cruciatus,
„vix eos tandem dignati sunt gladio. ... Tantus au-
„tem populum pavor occupaverat et formido, ut nec
„ausus esset quisquam affines mortuos palam deflere
„et sepelire, ... paria namque his, qui lugebant
„illico patiebantur." Porro de B. J. IV. 6, 1.: „ple-
„bis autem pars nulla erat, cujus ad interitum non
„aliqua excogitabatur occasio; nam alii quidem, quod
„jam dudum ipsorum aliquibus restitissent, interemti
„erant; aliis vero, qui nihil pacis tempore offende-
„rant, prout commodum visum est, affingebantur

„crimina. Et qui eos quidem non omnino adiret, „pro superbo; qui vero paulo liberius ad eos accede„ret, pro contemtore; quique obsequiis eos demereri „stndebat, pro insidiatore habebatur, atque una gra„vissimorum criminum et leviorum poena mors erat, „neque evasit quisquam, nisi admodum esset humilis „aut ignobilitate aut forte fortuna." Unum adjungam locum de B. J. IV. 9, 10.: „insatiabilis autem erat „rapinarum cupiditas, domorumque locupletum per„scrutatio; atque virorum caedes et foeminarum in„juriae pro ludo habebantur, spoliaque cum sanguine „devorabant, et impune muliebria patiebantur, ad „satietatem. ..... Imo foeminarum ad instar vultus „componentes dextris caedem patrabant, fractoque „gressu incedentes subita incursione bellatores eva„debant, gladiisque e conchyliatis chlamidibus eductis „obvium quemque transfigebant. Eos autem, qui Jo„hannem fugerant, excipiebat saevior Simon; quique „tyrannum intra muros evaserat, ab his, qui ante „portas erant, occidebatur, omnisque fugae via, ad „Romanos transire cupientibus, erat praeclusa. Conf. et de B. J. V. 1, 4 — 5. 3, 1. 6, 1. etc.

Zach. 11, 7.

וָאֶרְעֶה אֶת־הַצֹּאן הַהֲרֵגָה לָכֵן עֲנִיֵּי הַצֹּאן pascebam itaque oves occisioni dicatas, certe afflictas ovium, haec ultima verba esse languida, et reliquae orationi minime convenire, manifestum est. Alexandrinus לָכֵן עֲנִיֵּי expressit εις την χαναανιτιν, et v. 11., ubi recurrit כֵּן עֲנִיֵּי, οἱ χαναναιοι; unde liquet, legisse in suo codice has duas

voces in unam conjunctas; hic quidem לִכְנַעֲנֵי, et v. 11: כְּנַעֲנֵי, quae vox reapse occurrit Zach. 14, 21.; est pluralis constructus a כְּנַעֲנִי Canaanita, nomine antiquorum incolarum regionis Canaan, quorum Tyrii et Zidonii erant celeberrimi mercatores; unde demum כְּנַעֲנִי idem valebat ac mercator, qua notione occurrit Jes. 23, 8. Prov. 31, 24. Job. 40, 23. (30.). Accedit, v. 5. memorari emtores et venditeres ovium. Dubium ergo non est, legendum esse לִכְנַעֲנֵי הַצֹּאן pro mercatoribus ovium, nempe pro illis venditoribus et emtoribus, seu pro regulis vel ducibus seditiosorum.

וָאֶקַּח לִי שְׁנֵי מַקְלוֹת לְאַחַד קָרָאתִי נֹעַם וּלְאַחַד קָרָאתִי חֹבְלִים וָאֶרְעֶה אֶת־הַצֹּאן et sumsi mihi duos baculos, alterum vocavi beneficentiam, et alterum vocavi confoederatos, et pascebam oves. — מַקְלוֹת sunt baculi pastorales, a מַקֵּל baculus, ab insit. נקל = نَقَلَ transportavit, et نُقْلَة migratio; baculus tam a transportando onere in baculo suspenso, quam a migratione dici potuit. — נֹעַם jucunditas, et quod gratum est, ut pulcritudo, decentia; nostro autem loco, ut Ps. 90, 17., beneficentia, gratia, ut نِعْمَة non tantum commoditas, laetitia, sed etiam gratia, beneficentia, qua alteri benefit, et نُعْم prosperitas, effectus beneficentiae; a נָעַם = نَعِمَ et نَعُمَ gratus, acceptus, sua-

vis fuit. — חֹבְלִים foedus ineuntes, confoederati, seu se consociantes, uti infra v. 14. per אַחֲוָה, fraternitas, explicatur, a حَبَلَ foedus pepigit, et حَبَّلَ non solum, ut חֶבֶל et Aram. חַבְלָא, funis, chorda, vinculum, sed etiam foedus, sicut etiam חֶבֶל 1 Sam. 10, 5. 10. de consociatis discipulis Prophetarum usurpatur; et חָבַל Hebr. et Aram. non tantum est corrupit خَبَلَ, sed etiam oppignoravit, ut et أَخْبَلَ mutuo dedit. Hi duo baculi symbolici infra v. 10 et 14. explicantur, ut alter quidem sit symbolum beneficentiae, qua Deus Hebraeos ab infestatione gentium protegebat; alter autem confoederationis et consociationis Hebraeorum inter se invicem, ut essent concordes.

Zach. 11, 8.

וָאַכְחִד אֶת־שְׁלֹשֶׁת הָרֹעִים בְּיֶרַח אֶחָד verum sustuli tres pastores uno mense. Hinc patet, quod supra innuimus, Prophetam gerere personam pastoris seu regis supremi, qui alios reges pro nutu loco movet. Sistit itaque Messiam, et propabiliter illum legatum divinum, quem etiam c. 1, 12 — 13. 4, 9. memorat. Pastores seu duces, qui se reges gerebant, in bello Romano plures sublatos esse brevi temporis spatio, Josephus testatur, imo etiam, si numero insistatur, adducere possemus mox post mortem regis Herodis, Judam filium Ezechiae, Simonem servum regium, et Astrongaeum pastorem, quorum ausus et exitum narrat Josephus de B. J. II. 4, 1 — 3.; aut si

hi a belli temporibus nimium distant, adducemus ex ipso belli exordio Manahemum, Ananiam pontificem, et fratrem ejus Ezechiam, quorum finem describit Josephus de B. J. IV. 8 — 9. Addi possent tres praecipui pastores, vel potius tyranni, Johannns Gischalenus, Simon, et Eleazarus, quos supra nominavimus celeberrimos duces seditiosorum, qui non solum populum opprimebant, sed etiam se invicem perdere conabantur, de quorum exitio conferatur Josephus de B. J. VII. 8, 1 — 9, 2. et VI. 2, 1. Verum his opus non est; nam in imagine nequaquam omnia ad vivum resecanda sunt, sed plura ad integritatem duntaxat imagines spectant. Sufficit itaque, plures duces, qui reges esse volebant, brevi tempore sublatos fuisse, quod aliunde in rerum omnium perturbatione, exspectandum est. — כָּחַד = ܟܚܕ negavit sciens aliter se habere, cui affine est Syr. pass. II. אֶתְכַּחַד confusus, pudore affectus est, qualis est, qui sciens negat; hinc IV. הִכְחִיד celavit, abolevit, exstirpavit, sustulit, Ps. 83, 5. Exod. 23, 23. 1 Reg. 13, 34. 2 Paral. 32, 21. Paulusius in Comment. über das N. T. III. Th. S. 682 — 683. confingit notionem: fecit oblivisci, nec advertit hoc Verbum mox v. 9. recurrere, ubi haec, nullo argumento comprobata notio locum non habet, uti nec ulli alteri loco applicari potest, nec etiam contextui nostri loci congruit. — יֶרַח et יְרַח Hebr. et Aram. luna, mensis, qui, ut notum est, erat lunaris.

וַתִּקְצַר נַפְשִׁי בָּהֶם וְגַם־נַפְשָׁם בָּחֲלָה בִי . nam animam meam taedebat eorum, et etiam anima eorum fastidiebat me. — Animam meam, i. e., me; anima eorum, i. e., illi. — قصر = קָצַר praecidit, amputavit, messuit, et intransitive, ut قصر, brevis, abbreviatus fuit; longe abit Syr. קַצַּר fullonicam artem exercuit. קָצְרָה נַפְשִׁי ,רוּחִי abbreviata est anima mea, spiritus meus, id est, taeduit me, indignatus sum, impatiuns fui; Jud. 10, 16. 16, 16. Num. 21, 4 — 5. Job. 21, 4. Mich. 2, 7.; est nempe contrarium phraseos אֶרֶךְ אַפַּיִם longus ira, et אֶרֶךְ רוּחַ longus spiritu, i. e. longanimis. Chaldaeus: וְרַחֵיק מֵימְרִי יָתְהוֹן nam removit vel rejecit eos verbum meum, ubi verbum meum substitutum est animae meae. — בָּחַל non occurrit alibi nisi in K'thib Prov. 20, 21., ubi autem ex بخل tenax, avarus fuit, explicandum est; nostro vero loco conferendum est Syriacum בחילא nauseans, stomachi fastidio laborans; hinc recte vertit Chaldacus קָצַת detestata est, et Syrus נַפְשׁתהוֹן עַקִי (lege עָקְי, ab עוק) animae eorum taedio affectae sunt. Per hoc pastoris taedium, et per fastidum ovium, tacite indicatur pravitas et extrema corruptio ovium seu seditiosorum, quos Daniel appellat exercitum abominabilem, de quo jam supra ad v. 6. et ad Dan. 9, 27. loca Josephi produximus.

וָאֹמַר לֹא אֶרְעֶה אֶתְכֶם הַמֵּתָה תָמוּת וְהַנִּכְחֶדֶת תִּכָּחֵד וְהַנִּשְׁאָרוֹת תֹּאכַלְנָה אִשָּׁה אֶת־בְּשַׂר רְעוּתָהּ׃ quapropter dixi: jam non pascam vos; moriantur, quibus moriendum est; exstirpentur, quae exstirpandae sunt; et reliquae vorent altera carnem alterius. Judaei protectione divina destituentur, et sorti suae relinquentur. Ceterum his coloribus pingitur dissidium et contentio interna reipublicae, bellum intestinum, quale nec ante exilium, nec aetate Maccabaeorum, sed in bello Romano fuit, qua de re, jam in superioribus loca Josephi produximus, quibus plura alia addere, nullam esset negotium; proderit tamen, quia non omnes mei lectores Josephum integrum legunt, saltem unicum adducere locum etsi fusiorem, de B. J. V. 10, 2 — 5.: „ceterum ditioribus quidem manere" (non transfugere ad Romanos) „perinde exitiosum erat; nam propter „divitias necabantur, quasi transfugere ad hostes voluissent. Cum fame autem simul crescebat furor „seditiosorum, et utrumque malum magis quotidie „increscebat. Et palam quidem nullum ullibi frumentum erat, sed irruentes scrutabantur domos; „dein si quidem aliquid reperissent, eos, qui in aedibus erant, tanquam se habere negassent, crudelitor verberabant; si vero nihil invenissent, quasi „diligentius occultassent, tormentis excruciabant. „Porro an cibos haberent nec ne, indicio erant corpora miserorum, quorum qui adhuc firma erant valetudine, eos alimentorum eopia abundare censebant; qui vero jam contabescerent, eos missos fa-

„ciebant, quippe a ratione alienum videbatur, homi-„nes jamjam prae inedia morituros interficere. Multi „vero clam facultates suas uno frumenti quidem, si „divites essent, sin pauperes, hordei modio permu-„tabant. Deinde in intimos aedium recessus sese ab-„dentes, nonnulli quidem famis ultima necessitate „adacti, fruges nondum molitas comedebant; alii „vero panem conficiebant, prout necessitas metusque „suadebat. Et mensa quidem nullibi apponebatur, „sed crudos adhuc cibos ex igne ad se attrahebant et „diripiebant. Miserabilis porro erat alimonia, et „dignum lacrymis spectaculum, cum valentiores qui-„dem plus justo haberent, infirmiores vero vicem „suam dolerent. Omnes quidem animi affectus longe „superat fames, nullum vero aeque evertit ac vere-„cundiam; nam qnidquid alias dignum est reverentia, „in fame contemnitur. Siquidem uxores viris, et filii „parentibus, et, quod omnium maxime miserabile „erat, matres infantibus cibum ex ipso ore rapie-„bant; et marcescentibus inter manus liberis carissi-„mis vitales lactis guttas adimere non pigebat. Hu-„iusmodi autem cibos dum caperent, latere tamen „non poterant; ubique scilicet seditiosi praedae isto-„rum ac rapinis imminebant. Nam ubicunque clausam „domum conspicerent, eos, qui intus essent, cibum „sumere boc indicio suspicabantur, statimque effrac-„tis foribus irruebant, et prope ex ipsis faucibus ex-„pressa ciborum frusta revocabant. Vapulabant se-„nes, qui escam mordicns tenebant; et capillis „rotabantur mulieres, occultantes ea, quae in ma-

„nibus erant. Nulla canorum, nulla infantiae mise-„ratio erat, sed raptos in sublime parvulos, cum „ipsis quibus penduli inhaerebant buccellis, solo alli-„debant. Si qui vero incursum eorum praevenissent, „idque, quod ipsi rapturi erant, deglutire occupas-„sent, eos inhumanius tractabant, quasi injuriam ab „iis accepissent. Porro dira tormentorum genera „excogitabant ad pervestigandum alimentum, miseris „pudendorum quidem meatus nervis obturantes, po-„dicem vero praeacutis sudibus transfigentes. Utque „panem unum se habere quis fateretur, aut pugillum „farinae occultum indicaret, ea perferebat, quae „vel ipso auditu horrorem incutiebant. Interim tor-„tores ipsi penuria minime laborabant, minus enim „crudele visum fuisset, si necessitate adacti talia per-„petrassent. Sed id agebant, ut audaciam suam hu-„jusmodi exercitatione confirmarent, et commeatum „sibi in multos dies compararent. At si qui noctu „usque ad stationes Romanorum erepserant, agrestium „olerum et herbarum colligendarum caussa, occurren-„tes illis, qui se jam hostium manus effugisse crede-„bant, quidquid attulerant diripiebant; multumque sup-„plicantibus, et per tremendum Dei nomen obsecran-„tibus, ut partem eorum, quae cum vitae periculo „attulerant, sibi concederent, nihil prorsus impertie-„bant, gratandumque erat, si spoliati non etiam neca-„rentur. Ejusmodi quidem mala humiliores a satelliti-„bus patiebantur; ad tyrannos vero perducebantur „honoratiores et divites, quorum alii falso insidiarum „accusati occidebantur, alii quasi vellent Romanis

„prodere civitatem. Praesentissimum autem erat, „indice aliquo uti subornato, qui diceret, illis decre- „tum esse transfugium. Si quem vero Simon expi- „lasset, is ad Johannem remittebatur; et quem Jo- „hannes expilasset, eum Simon excipiebat, sibique „invicem propinabant sanguinem popularium, mise- „rorumque cadavera partiebantur. Et dominandi „quidem caussa inter utrosque erat dissensio, scele- „rum vero concordia; nam qui ex alienis malis par- „tem alteri, sibi totum vendicans, non dedisset, modo „singulari nequam videbatur, et qui non accepisset, „dolebat, non secus ac si boni aliquid desiderasset, „sibi abfuisse crudelitatis partem. Et singillatim qui- „dem iniquitates eorum commemorare, factu impos- „sibile est; id autem breviter dici potest, neque aliam „urbem talia perpessam esse, neque hominum genus „aliud ab omni aevo sceleratius exstitisse." — Verba quidem Prophetae multo latius patent; de omnibus enim etiam aliis vexationibus et certaminibus, quibus se invicem perdebant, intelligenda sunt, de quibus autem jam in superioribus plura Josephi testimonia adducta fuérunt.

Zach. 11, 10.

וָאֶקַּח אֶת־מַקְלִי אֶת־נֹעַם וָאֶגְדַּע אֹתוֹ לְהָפֵר אֶת־בְּרִיתִי אֲשֶׁר כָּרַתִּי אֶת־כָּל־הָעַמִּים sumsi itaque baculum meum, beneficentiam, et fregi eum, ut irritum facerem foedus meum, quod cum omnibus populis pepigeram. Interseritur tropicis dictio propria cum omnibus populis, quod allegorice dicendum

fuisset **cum omnibus belluis**, quae ovibus insidiantur. Consueverunt Hebraei tropicis nonnunquam propria interponere, ut Ps. 1, 3. 80, 16. 18 — 19. 127, 4 — 5. Divina protectio Hebraeorum ab infestationibus gentium sistitur, sicut Hos. 2, 20., ut foedus, a Deo pro Hebraeis cum feris et belluis, seu cum gentibus ictum, quod itaque pangere, et irritum facere, est opus divinum; ex quo rursus apparet, Prophetam subire vices Dei vel Messiae ut divini illius legati, qui erat supremus rex Hebraeorum. Itaque baculus hic pastoralis, **beneficentia** vel **gratia** dictus, symbolum est beneficii divini, quo Hebraei ab infestationibus gentium tuti degebant, atque hoc fracto a gentibus vexabuntur et affligtabuntur. Insignis nota belli Romani, ut ad versum sequentem pluribus dicemus. Quod Paulusius Comment. über das N. T. III. Th. S. 682. asserit, עַמִּים esse duo regna, Juda et Israel, non solum violentum est, sed etiam adjecto כָּל repugnat. — גָּדַע non tantum, ut جَدَعَ, **abscidit, succidit**, sed etiam **fregit**, uti occurrit de clavo fracto Jes. 22, 25., de fracto cornu Ps. 75, 11. Thr. 2, 3., de brachio 1 Sam. 2, 31., et de vectibus ferreis Ps. 105, 16. Jes. 45, 2., in quibus tamen locis omnibus oratio est tropica. — לְהָפֵר **ad frangendum**, de fractione et violatione foederis occurrit persaepe, ut Jes. 33, 8. Ezech. 17, 16. et a. l., a פּוּר et פָּרַר = فَرَّ **movit, agitavit, fregit**. — בְּרִיתִי אֲשֶׁר כָּרַתִּי **foedus meum, quod secui, ici** vel **percussi**, quod etiam Latini et

Graeci dicunt, phrasis a victimis desumta, quae iceebantur et secabantur, et ad quas jurabatur, conf. Bibl. Arch. III. §. 104. S. 396 — 400.

Zach. 11, 11.

וַתֻּפַר בַּיּוֹם הַהוּא וַיֵּדְעוּ כֵן עֲנִיֵּי הַצֹּאן הַשֹּׁמְרִים אֹתִי כִּי דְבַר יי׳ הוּא irritum itaque factum est illo die, ut agnoscerent sic (vel vere) afflictae ovium, quae me observabant, esse eloquium Jehovae. — כֵּן עֲנִיֵּי hic aeque incommodum est, ac supra v. 7. לָכֵן עֲנִיֵּי, ubi annotavimus, Alexandrinum nostro loco vertisse οἱ χαναναῖοι, adeoque legisse כְּנַעֲנִיֵּי Canaanitae, seu mercatores ovium, qui etiam infra c. 14, 21. memorantur. — תֻּפַר, pro תּוּפַר, IV. pass. a פּוּר de quo mox supra diximus. Fracto ergo illo baculo, beneficentia, irritum fiet foedus Dei cum gentibus, i. e., Hebraei jam non protegentur a Deo contra infestationes gentium, et ex ingruentibus his infestationibus agnoscent duces, qui non omnem religionem exuerunt, id praedictum fuisse. Ita plane accidit in bello Romano, et praedictum fuisse divinitus, non tantum Josephus, qui ipse erat dux Judaeorum in Galilaea, agnovit, ut supra ejus verbis ostendimus, conf. et de B. J. V. 13, 5. 6. et VI. 8, 4. 5., sed omnes illi inferiores quoque seditiosorum praefecti perspexerunt, qui ad Romanos transfugerunt, et ipsi etiam reguli seu duces seditiosorum ex funesto exitu non agnoscere non potuerunt, ad ipsos spectasse haec vaticinia. — Mox initio belli Romani, audita clade Cestii, refert Josephus de B. J. II. 18, 2 — 6., Ju-

daeos ubique locorum a gentibus fuisse interemtos; a Syris omnes in eorum urbibus degentes interfectos fuisse, exceptis duntaxat illis, qui Antiochiae, Apameae et Zidone commorabantur; occisos fuisse Judaeos habitantes Tyri, Ptolemaide, Aschkalone, Gadarae, Hippone, atque in ipso etiam Agrippae regno clam serpentes motus non defuisse, et quinquaginta Bataneae proceres, qui securitatis caussa praesidium militum petierant, rege absente, jussu praesidis fuisse interfectos; Josephus addit, civibus harum urbium, occisis Judaeis, adhucdum suspectos et molestos fuisse proselytos, quos interimere nolebant. Porro de B. J. II. 18, 7. narrat, Judaeos Alexandriae in congregatione civium omnes, qui non celerrima fuga dilapsi essent, fuisse interfectos, et cum demum tres fugitivi comprehensi, et nunc comburendi per urbem ducerentur, Judaeos undique convolasse, et jactu lapidum impetiisse ethnicos, imo cum ardentibus facibus accurrisse ad theatrum, ut et hoc et omnes ibi congregatos ethnicos concremarent. Praeses Tiberius (Judaeus apostata) clementia quidem primum usus est, qua cum nihil proficeret, exercitum 17000 militum misit, qui 50000 Judaeorum interfecerunt, et domos eorum diripuerunt. Denique etiam cives Damasci, teste Josepho de B. J. II. 20, 2., audita clade Cestii, exarserunt in Judaeos, sed quo essent animo, uxores suas, quae fere omnes religioni Judaicae erant addictae, sollicite celarunt, Judaeos in gymnasium congregarunt, et repente irruentes fere 10000 interfecerunt. Quantas denique clades exercitus Romanus Judaeis in Galilaea, Peraea,

Judaea et Jerosolymis intulerit, in Josephi de B. J. libris, aut saltem in mea Bibl. Arch. II. Th. II. B. §. 134 — 162. S. 127 — 207. legatur. Id unum addo; Josephum referre de B. J. VI. 9, 3 — 4., in una obsidione et expugnatione Jerosolymorum 1,100,000 periisse, et durante bello 97,000 captos fuisse, qui partim venditi, partim belluis in theatris objecti, partim ad publicos labores condemnati sunt; denique regio ipsa quoque aliis incolis vendita fuit. Ita omnibus patuit, ruptum esse foedus, quod Deus cum gentibus, ne Judaeis nocerent, pepigerat. Ceterum observandum est; eloquiuum Dei dici, quod pastor ipse v. 9. dixerat, qui itaque Deo aequalis sistitur..

Zach. 11, 12.

וָאֹמַר אֲלֵיהֶם אִם טוֹב בְּעֵינֵיכֶם הָבוּ שְׂכָרִי וְאִם לֹא חֲדָלוּ tum dixi ad eos: si vobis videtur, date mercedem meam; sin minus, omittite. Non ab ovibus, quarum non est mercedem rependere, sed a mercatoribus ovium, pro quibus oves paverat, petit mercedem. Hi autem ovium mercatores sunt illi pastores seu reges et duces seditiosorum, quorum tres uno mense v. 7. 11. loco movit. — אִם טוֹב בְּעֵינֵיכֶם si bonum est in oculis vestris, i. e., si vobis placet, aut ut Latini loquuntur, si vobis videtur. — הָבוּ date, a יָהַב Hebr. et Aram. = وَهَبَ dedit, Hebraeis autem duntaxat in Imperat. Aorist. I. et Partic. usitatum. — חֲדָלוּ ob pausam, pro חִדְלוּ, vel חִדְלוּ; omittite.

a חָדַל cessavit, omisit; vicinum est خذل retro mansit ovis, debilis, flaccidus fuit.

וַיִּשְׁקְלוּ אֶת־שְׂכָרִי שְׁלֹשִׁים כָּסֶף appenderunt itaque mercedem meam, triginta argenteos. — שָׁקַל libravit, ponderavit; argentum non fuisse, monetam signatam, sed in libra ponderatum fuisse, docuimus in Bibl. Arch. I. Th. II. B. §. 138. S. 46.; quare pendere, appendere Latinis quoque venit pro solvere. — שְׁלֹשִׁים כֶּסֶף, status appositionis, triginta argentum, pro statu constructo, triginta argenti, intellige שֶׁקֶל siclos. Siclus hic intelligendus est, qualis ante exilium erat, fere nostris 27 crucigeris aequalis; graviorem enim, qui in N. F. occurrit, Judaei recentiori aevo a Graecis mutuarunt.

Zach. 11, 13.

וַיֹּאמֶר יי׳ אֵלַי הַשְׁלִיכֵהוּ אֶל־הַיּוֹצֵר dixit autem Jehova ad me: projice illud (argentum) ad figulum. — הִשְׁלִיךְ jecit, projecit, IV. ab inusit. شلك = שלך conjecit, stravitve eum in dorsum. — יוֹצֵר figulus; mirum profecto, qua ratione argentum ad figulum, et quidem, ut mox sequitur, in templo projiciendum sit, in quo non erat figulus, neque statuarius, ut Vulgatus vertit, neque χωνευτήριον, prout vertit Alexandrinus. Substrata igitur materia hanc vocis notionem prorsus respuit. Syrus vertit בֵּית גַּזָּא in domum thesauri; id a Judaeis didicisse videtur, nam R. Jsaac Karaeus, et etiam, referente Richardo Simon Histoire Crit. du V. T. Ch. 31.

p. 197 ed. 1680, R. David Kimchius dicit, Jod in הֹיוֹצֵר permutatum esse cum Aleph, et vocem idem valere ac הָאוֹצָר thesaurus, quam vocem exhibet etiam h. l. cod. Kenn. 530.; hanc permutationem non solum Masora in aliis locis probat, sed in pluribus quoque vocibus reperimus, uti אֶחָד et יַחַד unus; أَبَلٌ et Syr. יְבֵל gramen; أَلِفَ אָלַף et Syr. יְלֵף didicit, consuevit; אָשַׁר felicem praedicavit, et يَسَّرَ prosperavit, et alia, quae adfert Gesenius in Hebr. Deutsch. Wörterbuch S. 1 — 2., quibus addo, in dialecto Arabica et Aramaea radicalem literam Aleph in flexione Verborum et in derivatis persaepe transire in Jod, ut cuilibet tironi notum est, et linguam nostri Prophetae dialecto Aramaeae propiorem esse, aequus rerum aestimator non negabit. Denique junctum in sequenti membro בֵּית יי׳ Domus Dei, locum dubio non relinquit, de thesauro templi esse sermonem, et היוצר venire pro הָאוֹצָר, et legendum esse אֶל הָיוֹצָר, ad thesaurum, vel pro thesauro, inprimis cum substrata materia sit pecunia. Gazophylacium quidem illud in atrio, vel ad atrium mulierum, de quo loquuntur Thalmudici, cujus etiam Luc. 21, 1. Marc. 12, 41 — 43. Joh. 8, 12. mentio fit (conf. meam Bibl. Arch. III. Th. §. 61. S. 276.), aetate Zachariae vix aderat; ast dona sacro tabernaculo aut templo oblata, et thesauro sacro dedicata, occurrunt Jos. 6, 19. 24. 1 Paral. 29, 8. Ezr. 2, 69. Neh. 7, 69 — 70., et de hoc thesauro, nostro loco sermo est.

אֶדֶר הַיְקָר אֲשֶׁר יָקַרְתִּי מֵעֲלֵיהֶם magnificum pretium, quo aestimatus sum ab eis. ironice dictum. Merces soluta pastori designato a Deo, vix potest dici pretium, quo Deus aestimatus est, nisi pastor ille Deo singulari ratione junctus aut aequalis sit, uti Messias juxta Malach. 3, 1. et Ps. 110, 1. coll. 5 — 6. אֶדֶר non occurrit nisi Mich. 2, 8., ubi autem genus vestis, fortasse, ut Alexandrinus et Syrus vertit, pelliceum significat, nostro tamen loco contextus notionem magnitudinis aut magnificentiae flagitat, quam supra c. 11, 2. voci אַדֶּרֶת vindicavimus. Vulgatus vertit: decorum; et Syrus שׁוּבְחָא gloriam. — יְקַר, st. c. ante Relativum, uti in Grammatica docetur, a יְקָר pretium; R. יָקַר gravis pondere, difficile intellectu seu incomprehensibile fuit, pretiosus fuit, Syr. יְקַר et Ar. وقر gravavit, et in II. honoravit, ut et Latini dicunt grave pondus, et gravem virum. Quod Paulusius in Comment. über das N. T. III. Th. S. 682. dicit, הַיְקַר esse Infiinitivum formae IV, repugnat usui loquendi, qui ubique exhibet formam IV. הֹקַר, et in Aor. II. אוֹקִיר Jes. 13, 12. Prov. 25, 17.

וָאֶקְחָה שְׁלֹשִׁים הַכֶּסֶף וָאַשְׁלִיךְ אֹתוֹ בֵּית יי׳ אֶל־הַיּוֹצֵר (juxta supra dicta הַיּוֹצֵר legendum, pro הָאוֹצָר) sumsi itaque triginta argenteos, et projeci eos in domo Jehovae ad thesaurum, vel pro thesauro. — בֵּית יי׳ jam pro integro templo, jam pro sancto et sanctissimo venit, 1 Reg. 6, 37. 17, 12. 40. 45. 48. 51. 8, 11. 13. 63. 64. 9, 10. 15.

Etiam post exilium in sancto et sanctissimo thesauros asservatos fuisse, testatur Josephus Archaeol. XIV, 7, 1. de B. J. I. 8, 8., quia ibi tutiores erant; aetate Prophetae notum erat, ubi thesaurus asservetur, et verba erant clara, quae nobis non satis perspicua sunt.

Cuilibet haec legenti in mentem veniet historia de triginta argenteis, traditori Judae Ischkariotae repraesentatis, quam quidem solus narrat Matthaeus c. 27, 3 — 10., qui Palaestinensibus originem nominis hakel dama (חקל דמא), ager sanguinis, in memoriam revocare voluit, reliqui autem Evangelistae non alia de caussa praetermiserunt, nisi quia exteris, quorum id non intererat, scribebant. Non levis quidem est vaticinium inter et historiam et verba Exangelistae dissimilitudo, non levis tamen adest quoque similitudo; nam si in vaticinio triginta argentei solvuntur pastori pro munere, quo functus est, in historia autem traditori pastoris seu Messiae: nihilominus penduntur traditori pro pastore seu Messia tradendo, quod aliqua ratione respici potest, ac si pro munere pastoris soluti fuissent, ut Jesus Joh. 10, 32. ait: multa bona opera vobis praestiti, propter quodnam eorum vultis me lapidare? Si porro in vaticinio pastor triginta argenteos projicit in templo ad thesaurum, vel pro thesauro, et in historia traditor projicit eos in templum, vel potius in sacrum tabernaculum, cujus porta duntaxat velo tecta erat, εις τον ναον *): nihilominus pon-

*) Conf. Michaelis Anmerk. zur Uibers. des N. T. T. I S. 282. f.

tifices consultant, an pecunia haec, in sanctuarium projecta, et hac ratione Deo sacrata, possit mitti in Korbonam (קרבן), seu addi reliquis thesauris Deo sacris, atque ita respiciunt eam tanquam thesauro sacro oblatam; et demum primum, quia pretium sanguinis erat, in agrum figuli pro sepulcro peregrinorum, tanquam in opus pium, expendunt, cui a Matthaeo vox ambigua היוצר, facile applicari poterat.

Quia autem Matthaeus c. 27, 9 — 10. vaticinium, quod adducit, Jeremiae, in quo tamen nihil simile reperitur, tribuit, et verba etiam nonnisi tria refert Zachariae convenientia: existimant quipiam, locum revera esse Jeremiae, e cujus libro progressu temporis exciderit, quod, si consideretur vigilantia Christianorum, vero dissimillimum est. Hieronymus quidem Comm. in Matth. T. IV. opp. P. I. p. 134. ed. Martianay, scribit: „legi nuper in quodam Hebraico volu„mine, quod Nazarenae sectae Hebraeus mihi obtu„lit, Hieremiae apocryphum, in quo haec verba „(Matth. 27, 9 — 10.) ad verbum scripta erant;" sed adjicit: „sed tamen mihi videtur magis de „Zacharia sumtum testimonium;" quia nempe apocryphum erat illud volumen, et Jeremiae falso tributum. Woide invenit locum sub Jeremiae nomine in duobus lectionariis Copticis (conf. Michaelis Briefwechsel III. Th. S. 63. 89. 89. u. alte orient. Biblioth. IV. Th. S. 201.); Münter in Spec. versionis Coptic. Daniel. p. 7. ait, exstare in utraque versione Coptica, et exhiberi a Tukio in rudimentis linguae Copticae; memoratur quoque in Dominici Macri apparentibus S. Scripturae antilogiis: verum haec omnia redeunt

ad versiones suspectas, in quibus praeterea locus legitur ita conceptus, ut legenti mox appareat, esse spurium.

Quare alii censent, locum, a Matthaeo adductum, esse Zachariae, et horum alii putant, Ιερεμιυ ortum esse ex compendio scribendi ΖΡΙΟΥ (i. e. ζαχαριυ) quod aliquis primorum librariorum falso legerit ΙΡΙΟΥ seu Ιερεμιυ, inprimis cum olim Ζ fere perpendiculariter pingeretur, ut facile cum Ι confundi potuerit. Id parum verisimile est; concipi enim non potest, qua ratione lectio tam facilis ex omnibus fere codicibus et versionibus exsulare potuerit; non enim reperitur nisi in cod. 22, et in vers. Syriaca in margine, in exemplari Arabico apud Bengelium; accedit, quod fere certum sit, lectionem hanc ζαχαριυ, esse correctionem ex conjectura ortam, quam non solum Origenes sed etiam Eusebius tentavit. Hinc alii multo verisimilius arbitrantur, Matthaeum scripsisse בְּיַד הַנָּבִיא per Prophetam, δια τυ προφητυ, qua formula nullus alius Evangelista, Matthaeus autem persaepe loca allegat, ut c. 1, 22 = Jes. 7, 14.; c. 2, 5. = Mich. 5, 1.; c. 2, 15. = Hos. 9, 1.; c. 13, 35. = Ps. 78, 2.; c. 21, 4. = Zach. 9, 9.; et, si locus est genuinus, c. 27, 35. = Ps. 22, 19.; interpres autem, qui Evangelium hoc ex lingua Hebraica vel Aramaea transtulit in Graecam, loco ביד legerit ב׳יר׳, ac si esse compendium scribendi pro בְּיִרְמְיָהוּ, et verterit δια Ιερεμιυ τυ προφητυ. Id prorsus verisimile est, confirmari tamen vix potest per testes, qui, omisso nomine Ιερεμιυ, solum exhibent δια τυ προφητυ;

nam etsi ita legitur in duobus codicibus, in versione Persica et neograeca, in quibnsdam codicibus apud Augustinum, in Vercellensi et Veronensi, et in codice Latino apud Lucam Brugensem; omnes tamen hi testes de mala fide suspecti sunt, et a dicendo testimonio excludendi. — Ceterum opponi quidem solet, verba a Matthaeo allegata duntaxat tria cum Zacharia convenire: *και ελαβον τριακοντα αργυρια*, וָאֶקְחָה שְׁלֹשִׁים הַכֶּסֶף, cetera omnia esse diversa; verum alia etiam non pauca, V. F. loca in N. F. adducta, eadem ratione mutata occurrunt, in quibus alia omissa, alia adjecta, alia verbis aliis expressa sunt, neque tamen propterea negatur, revera esse illa V. F. loca. Ita Marcus c. 1, 2. allegat Jesaiam, et nihilominus primum memorat verba Malachiae 3, 1., et demum Jes. 40, 3.; Matthaeus c. 21, 5. et Johannes c. 12, 27. allegant Zach. 9, 9., sed verbis et a textu Hebraico et a versione Alexandrina, diversis, et etiam a se invicem multum differunt; Paulus 1 Cor. 2, 9. adducit Jes. 64, 3., et 2 Cor. 6, 17. allegat Jes. 52, 11 — 12. et Jer. 31, 9., sed utroque loco quibusdam mutatis et quibusdam adjectis in rem suam utitur; Petrus ep. I. 2, 22 — 25. adfert Jes. 53, 4 — 7., sed plura explicationis caussa addit, alia omittit, et alia mutat. Eodem itaque modo Matthaeus vaticinium Zachariae, quod tractamus, quibusdam mutatis ad rem suam adhibuit; obscurum namque et primis tantum paucisque lineamentis adumbratum est, quod significatum, quo uti non potuit, nisi quaepiam explicationis caussa transformasset.

Sunt autem non pauci alii, qui verba quidem esse Zachariae confitentur, sed contendunt, Matthaeum memoriae lapsu Jeremiam pro Zacharia nominasse, quod eo facilius fuisse censent, quia Jeremias pleraque tristia habet, quibus locus adductus similis est, ut facile pro verbis Jeremiae haberi potuerit. Inspirationem autem, seu assistentiam divinam ad praecados errores, arbitrantur, non esse ad quoslibet etiam minimos errores, qui ad doctrinam nullatenus spectant, extendendam, cujus sententiae non tantum plures fuerunt theologi catholici, sed etiam non pauci Patres ecclesiae, quos recenset Canus Loc. Theolog. L. II. c. 16. p. 59 — 61. ed. Venet. 1759., Toelner von der göttl. Eingeb. S. 32 — 54., et Le Clerc in: Briefe einiger Holländ. Theologen I. Th. S. 340. ff.

An autem vaticinium revera adumbret historiam Jesu et traditoris Judae, ex Matthaei allegatione evinci nequit, siquidem inprimis hic sacer Auctor plura V. T. loca duntaxat ob aliquam similitudinem adducere solet. Generatim quidem haec exigua merces designat, parvi aestimatam fuisse protectionem divinam; ast si illud, quod supra diximus, veritate nititur, aut saltem verisimillimum est, Zachariam nempe in hanc visione gerere personam Messiae, profecto adprime respondet, mercedem Judae traditoris signari, inprimis cum idem sit numerus siclorum, et sicli hi utroque loco thesauro sacro deputentur, etsi dein pontifices consilium mutarunt. Ordine historiae vaticinium, ita explicatum, locum quidem ante c. 11, 1. meruisset; verum in vaticiniis ordinem historicum non obser-

vari, jam saepe monuimus, et rés ipsa demonstrat. Nequaquam autem diffitemur, vaticinium adumbrare tantum unum alterumve actum historiae traditionis Judae, et ita obscurum esse; verum idem etiam in praecedentibus c. 11, 1 — 12. observavimus, et in plurimis aliis vaticiniis observare licet. Haec scilicet omnia clarius sisti, et demum nihilominus operé compleri non poterant. Quid enim? si in prioribus c. 11, 1 — 12. diserte et clare praedictum fuisset, Judaeos, non dicam, contra Romanos, sed solum modo, contra imperium potentissimum instignante et factis atrocibus fere cogente praeside provinciae esse rebellaturos, et per hoc ipsum bellum, per quod libertatem suam revindicare conabuntur, vastationem regionis, exitium reipublicae, excidium urbis et templi, extremam gentis stragem, et perpetuum exilium arcessituros esse: an Judaei non potius omnes vexationes Flori patienter tolerassent, aut aliis mediis usi fuissent, ut a Floro liberarentur, quam ut per rebellionem exitium, clare praedictum, sibi conflarent? Ita etiam si historia traditoris Judae, non dico, omnibus, sed tantum pluribus et clarioribus adjunctis vestita, praedicta fuisset, uti familiarem discipulum Messiae fore ejusdem traditorem, pontificibus traditionem promissurum, et ab his triginta argenteos accepturum etç.: Judas nunquam Messiam tradidisset, nec pontifices ipsi triginta argenteos repraesentassent. Atque ita et illud et hoc vaticinium non fuisset opere completum, adeoque falsum, quale a Deo venire non potest. Qui itaque vaticiniorum obscuritatem accusant, et propterea omnes praedictiones explodunt, nisi ipsis clara et

historice definita vaticinia adducantur: viderint, an sibi constent; petunt enim vaticinia, quae persaepe opere compleri non possent. Conf. meam Introduct. in LL. V. F. Germanice editam P. II. §. 80. p. 364 — 366.

Zach. 11, 14.

וָאֶגְדַּע אֶת־מַקְלִי הַשֵּׁנִי אֶת־הַחֹבְלִים לְהָפֵר אֶת־הָאַחֲוָה בֵּין יְהוּדָה וּבֵין יִשְׂרָאֵל demum fregi baculum meum alterum, confoederatos, ut rumperem fraternitatem inter Judam et Israel. — חֹבְלִים, ut supra ad v. 7. monuimus, explicatur hic per אַחֲוָה = أُخُوَّة fraternitas, amicitia; Syr. אַחְיָנוּתָא consanguinitas, similitudo, ab אָח Hebr. et Aram. = أَخٌ frater, amicus. Ceterum quod Paulusius in suo coment. l. c. asserit, hunc baculum poni ex pluribus virgis flexibilibus compositum, ut fraternitatem seu consociationem repraesentaret, conjectura est, quam infeliciter cecidisse, docet, quod pastor eum frangat, id enim virgis ita sibi junctis vix fieri potest. — Juda et Israel, duo regna ante exilium, sunt imago confoederationis seditiosorum in bello Romano; haec fraternitas, consociatio et amicitia rupta est, cum dissidia non tantum seditiosos inter et pacificos, sed et inter ipsos seditiosos orirentur, et inter eos perpetua essent certamina cruenta, quibus sese invicem vincere et deturbare studebant, reapse autem debilitabant. Haec vix alia aptiori imagine adumbrari poterant, quam infausto illo schismate decem tribuum,

ex quo ortum est regnum Israel oppositum regno Juda, quae duo regna longe tempore sese mutuo oppugnabant et debilitabant. De his intestinis seditiosorum bellis legatur Josephus de B. J. IV. 3, 2 — 14. 4, 1 — 7. 5, 1 — 5. 6, 1. 7, 1 — 3. 5 — 8. V. 1, 1 — 5. 9, 11 — 12., vel saltem mea Bibl. Archaeol. II. Th. II. B. §. 137 — 151. S. 150 — 178. Qui cum paraphraste Chaldaeo hoc vaticinium proprie explicant de illo schismate decem tribuum, omnia illa, quae v. 1 — 13. praecesserunt, historiae antiquiori non sine violentia obtrudunt, nec tamen vel sic possunt exitum invenire, ut vel maxime ex paraphraste Chaldaeo apparet, qui in expositione hujus capitis longissime evagatur, omnia undique pro lubitu corrasa miscet, et verbis Prophetae invitis, subjicit, atque hunc secutus est Paulusius in Comment. über das N. T. Th. III. S. 683. Nostra explicatio, ab omni vi, verbis vel historiae illata, aliena est, et confirmatur locis parallelis Malach. 3, 2 — 5. 10 — 24. et Dan. 9, 25 — 27.; nam in nostro vaticinio, uti in illis, plenum exitium praedicitur, nec ulla spes restitutionis adjungitur, cum antiquis, de excidio regni Israel et exilio civium vaticiniis, promissio reditus ex captivitate et conciliatio cum regno Juda subnecti soleat; hinc patet, alterius esse generis vaticinium Zachariae, et alia tempora spectare.

Zach. 11, 15.

וַיֹּאמֶר יי׳ אֵלָי עוֹד קַח־לְךָ כְּלִי רֹעֶה אֱוִלִי tum dixit Jehova ad me: sume tibi rursus instrumentum pastoris stulti. — כְּלִי vocatur omne utensile, ut vas, vestis, ornamentum, instrumentum, ar-

ma; hinc Alexandrinus vertit σκευη, Vulgatus vasa, Syrus מאנא vasa vel instrumenta, atque ex his apparet, eos enunciasse in plurali כְּלֵי, vel כְּלִי collective intellexisse, quodipsum contextus quidem proximus offert, verum praecedentes duo baculi aliud suadent. Habemus quidem similem phrasim 1 Sam. 7, 40. 49. כְּלִי הָרֹעִים, ubi autem contextus de pera pastorali explicat, quae nostro contextui non satis apte convenit. Ex oppositione enim praecedentium baculorum pastoralium elucet, hoc instrumento hic indicari baculum pastoralem. — אֱוִלִי cum Jod Adjectivi, alias אֱוִיל, stultus, ab آل med. Vau, quod praeter alia significat, praefuit, descivit, defecit; incrassuit liquor, unde videtur descendere notio stulti; orientales enim crassos seu pingues consent intellectu minus pollere, nisi a deficiendo derivare mavelis, quod ipsum stultitiae deputatur; nam אֱוִיל stultus, dicitur inprobus et irreligiosus, quasi deficiens a recto, Prov. 1, 7. 10, 8. 21. 29. 12, 15 — 16. 23. 15, 2. 12. 20, 7., atque nostro etiam loco, ut ex sequenti versu patet, sermo est de pastore, vel collective de pastoribus inprobis, qui suo afficio desunt, et gregem non curant, non juvant, sed negligunt et pessime tractant. In praecedentibus Propheta gerebat personam supremi pastoris, seu Dei vel legatl illius divini, aut Messiae; nunc autem jubetur induere personam pastorum improborum, nempe illorum, quorum tres uno mense v. 8. exauctoravit, seu absque imagine: prius adumbravit, Deum vel Messiam relictu-

tum esse Hebraeos infestationibus gentium et bellis intestinis; nunc autem modum sistere jubetur, quo agent duces seu reguli Hebraeorum seditiosorum.

Zach. 11, 16.

כִּי הִנֵּה אָנֹכִי מֵקִים רֹעֶה בָּאָרֶץ nam ecce constituam pastores in regione. — אָנֹכִי מֵקִים ego faciens surgere, i. e. sinam surgere, vel constituam; utroque enim sensu forma IV. usurpatur; a קוּם surgere. De futuro esse sermonem, contextus docet. — רֹעֶה pastor, collective usurpari, patet ex praecedentibus, ubi v. 8. tres hujus generis pastores amoti sunt; hinc et sequentia membra collective intelligenda, et in plurali vertenda sunt. Hi pastores sunt reguli illi, duces seditiosorum, viri, uti supra ex Josepho ostendimus, pessimi. בָּאָרֶץ in terra, de regione Hebraeorum sermonem esse, evidens est.

הַנִּכְחָדוֹת לֹא יִפְקֹד וְהַנַּעַר לֹא יְבַקֵּשׁ וְהַנִּשְׁבֶּרֶת לֹא יְרַפֵּא וְהַנִּצָּבָה לֹא יְכַלְכֵּל qui pereuntes non requirent, et abactas non quaerent, et vulneratis non medebuntur, et subsistentes non nutrient. Verbo: deerunt officio suo. — Initio intelligendum est אֲשֶׁר, quod persaepe omittitur. — לֹא יִפְקֹד non requiret, vel, ut verba sequentia omnia, collective, non requirent, non desiderabunt aut curabunt. — נַעַר alias est puer, adolescens, vir juvenis, etiam servus; sed nostro loco, quo de ovibus sermo est, intelligendae sunt collective oves excussae, abactae a grege, a נָעַר excussit Neh. 5, 13. Jes. 33, 9. 15., unde נַעַר excussus ex utero materno seu puer, ex ex-

cussum seu abacta ovis, seu collective excussae vel abactae oves, quae apte conveniunt sequenti Verbo לֹא יְבַקֵּשׁ non quaeret, seu coll. non quaerent. Dialecti verbum hac notione non habent, nisi نعر tumultuatus est, huc trahendum videatur, quod juvenibus iniquietis, et ovibus tumultu abactis satis convenit. — נִשְׁבֶּרֶת fractam, vel coll. fractas, seu quibus os fractum est, quod in ovibus rarissimum, et nihilominus de eo sermo est, quod fieri consuevit; quare dubium non est, hoc Participio formae VII. indicari vulneratas a feris; nam Verba frangendi ad vulnerationes transferri, vel ex unico Arabico شدخ fregit, apparet, quo Abdollatif in Descript. Aegypti p. 13. ed. Tubing., vel in mea Chrestom. Aram. p. 117., de vulneratione fruticis balsamiferi utitur; accedit شجّ vulneravit in capite, et fregit caput; هشم fregit, et هشامة vulnus, contusio; atque hic verborum frangendi usus in Bibliis passim observatur. Aramaeos eodem modo loqui, patebit conferenti Bar Hebraei Chronicon Syr. p. 151. 164. 191. 218. 222. et Buxtorfii Lexic. Chald. Thalm. Rabb. sub תְּבַר. Vide Maguzin für chr. Dogm. u. Moral fortges. von Süskind XVII. St. S. 176 — 180. — נִצָּבָה firmatam, seu coll. firmas, subsistentes, seu sanas, Participium VII. a נָצַב et יָצַב, ut نصب, posuit, fixit, erectum constituit, et ut وصب firma fuit

res, assiduus fuit in negotiis. — כִּלְכֵּל nutrivit, de quo ad Mal. 3, 2. diximus.

וּבְשַׂר הַבְּרִיאָה יֹאכַל וּפַרְסֵיהֶן יְפָרֵק sed carnem pinguium comedent, et ungulas earum dilacerabunt. — בָּשָׂר Hebr. et Aram. caro; بَشَر externa hominis cutis, homo. — בְּרִיאָה proprie res creata, nova, mirabilis Num. 16, 13.; alias, ut h. l., venit pro בְּרִיָּה, foem. τῷ בָּרִיא, quod dicitur loco בָּרִי, pinguis, saginatus, a בָּרָה Hebr. et Chaldaic. comedit, affine est وَرِيَ multa in osse ac densa fuit medulla, pinguis fuit, et Chald. מְרָא saginavit. — פֶּרֶס species aquilarum Lev. 11, 13., sed פַּרְסָה ungula, pl. פַּרְסוֹת, פְּרָסוֹת ungulae; masculine tantum nostro loco, a פָּרַס partitus est, diffidit, fregit. Dilaceratio ungularum singularem indicat atrocitatem, et crudelitatem. De complemento hujus vaticinii confer locum Josephi de B. J. V. 10, 2 — 5. supra ad c. 11, 9. adductum. Pastores carnibus quidem propriarum ovium sine injuria vescuntur; si autem oves, quas pascunt, sunt alterius, hoc jure non gaudent, ac hujus generis sunt pastores, de quibus hic sermo est. Reges seu duces non sunt supremi domini, sed Deus; non gaudent itaque jure opprimendi, exsugendi, perdendi cives, quod tamen agunt hi reges, qui pastoribus significantur. Insignis imago regulorum seu ducum, qui Judaeis in bello Romano imperabant, prout ex locis, supra ex Josepho Fl., praesertim ad c. 11, 9. adductis

abunde quidem liquet, attamen unum alterumve addere liceat. Josephus de B. J. VI. 1, 1. scribit: „at „Hierosolymorum calamitates quotidie ingravescebant, cum et seditiosi magis irritarentur calamitatibus, et fames in populum jam grassata, etiam nunc „ipsos depasceret. Quin et multitudo congestorum „in urbe cadaverum et visu horrenda erat, et odorem „pestiferum emittebat, qui pugnantium excursibus „impedimento erat. Nam incedentes, veluti per „aciem plurima caede exercitati, conculcare corpora „necesse habebant; quique super eis graderentur, ne„que horrebant, neqne miserabantur, neque malum „omen sibi ducebant contumeliam in mortuos; gentili „autem caede dexteras pollutas habentes, ad bellum „cum alienigenis excurrebant, tanquam exprobrantes „Deo, ut mihi videtur, supplicii sui tarditatem, non „enim jam spe victoriae, sed desperatione salutis, „tam ferociter gerebatur bellum." Rursus de B. J. VI. 3, 13.: „erat autem eorum, qui per civitatem „fame perierunt, infinita quidem multitudo, calami„tates vero, quas passi sunt, enarrari non possunt. „Per singulas quippe domos, sicubi vel umbra appa„ruisset cibi, bellum illo gerebatur, et amicissimi „quique inter se acriter dimicabant, sibi invicem mi„sera vitae subsidia eripientes. Nec mors ipsa fidem „penuriae faciebat, sed eos etiam, qui extremum „spiritum exhalabant, perscrutabantur latrones, ne „quis forte, cibum in sinu abditum gerens, se mori „simularet. Ipsi autem latrones, prae inedia hiantes, „huc illuc, tanquam rabidi canes, vagi et incerti

„ferebantur; et foribus instar ebriorum illisi, etiam „prae consilii inopia in easdem domos bis terve unius „horae spatio irruebant. Porro omnia absque discrimine necessitas mandere cogebat; atque etiam, „quae ne sordissimis quidem animalium ratione carentium usui sunt, colligentes, comedere sustinebant, „imo nec cingulis, nec calceamentis denique abstinuerunt, atque ipsa scutorum coria avulsa dentibus „conficiebant. Quin etiam nonnullis vetusta foeni „praesagmina esui fuere; quidam etiam festucas colligentes, levissimum pondus quatuor drachmis Atticis „(1 fl. 24 kr.) venundabant." Narrat dein, mulierem deprehensam, quae propriam prolem interfectam et coctam manducabat. Cum his conferantur, quae supra de expilationibus, direptionibus, concussionibus et caedibus ipsorum ducum attulimus, et patebit, haec montra pastorum seu regulorum et ducum, non potuisse paucioribus et notabilioribus lineamentis adumbrari, quam quibus in hoc vaticinio sistuntur.

Zach. 11, 17.

הוֹי רֹעִי הָאֱלִיל עֹזְבִי הַצֹּאן vae pastoribus inanibus (inutilibus), oves deserentibus! — רֹעִי et עֹזְבִי collectiva sunt, cum Jod paragogico, nisi forte enuncianda videantur רֹעֵי et עֹזְבֵי, ut habent aliqui codices de Rossiani, et רֹעֵי quidem codd. 10, pr. 2., nunc 1, Biblia Brixiensia, antiqua sine anno et loco, et aliae antiquae editiones 7, Alexandrinus quoque cum Arabe; et עֹזְבֵי codices 14, pr. 2., Biblia Soncinensia, Brixiensia, antiqua sine anno et loco, et aliae editiones 7, ac Alexandrinus cum Arabe.

Verum plura jam praecesserunt collectiva; hinc et nostro loco in singulari legendum est. — אֱלִיל Vulgatus vertit idolum, quod contextui et usui loquendi repugnat; nam duntaxat in plurali idola significat. Singularis alibi non occurrit nisi Job. 13, 4. רֹפְאֵי אֱלִל medici inanitatis, seu inanes; et Jer. 14, 14. חֲזוֹן שֶׁקֶר וְקֶסֶם וֶאֱלִיל וְתַרְמִית visio mendacii et divinatio et inanitas et fallacia, seu visio mendax et divinatio, falsitas et fallacia, ut parallismus membrorum docet; hinc et nostro loco pastores inanes, vani, inutiles, falsi, impostores, et per μειωσιν, quam maxime noxii intelligendi sunt; quales, ut in praecedentibus affatim ostendimus, erant illi duces seditiosorum, gregem deserentes, affligentes, in extremam miseriam conjicientes, et perdentes. Cum אֱלִיל conferri potest أَلَّ concussus, perturbatus fuit, et, ut إِلَّ, alteratus, corruptus fuit.

חֶרֶב עַל זְרוֹעוֹ וְעַל עֵין יְמִינוֹ זְרֹעוֹ יָבוֹשׁ תִּיבָשׁ וְעֵין יְמִינוֹ כָּהֹה תִכְהֶה ariditas super brachium eorum et super oculum dexterum eorum; brachium eorum arefiet et oculus eorum dexter hebetabitur. — חֶרֶב alias est gladius, et nonnunquam, ut حَرْبٌ, bellum; gladium vertunt Alexandrinus, Vulgatus, et Chaldaeus, qui longe evagatur, et mire se torquet, ut gladio locum faciat Syrus vocem, quam non intelligebat, omisit, etsi sequens יָבוֹשׁ תִּיבָשׁ satis clare offert notionem ariditatis, quae habetationi oculi

convenit; potest enim haec ex ariditate nasci. Eadem notio voci חֶרֶב Deut. 28, 22. substrata est, etsi alias notio ariditatis, forma חֹרֶב exprimitur. Ariditas brachii, proprie sumta, est *καταληψις* antiquorum medicorum, de qua in Bibl. Arch. I. Th. II. B. §. 235. S. 307. nro. 3. et S. 508. diximus conf. 1 Reg. 13, 4—6. Matth. 12, 10 — 13. Joh. 5, 3. Nostro autem loco est symbolum impotentiae et frustrati consilii, uti demum duces seditiosorum in bello Romano, etsi fortissime pugnarunt, nihilominus succubuerunt. — עֵין יְמִינוֹ oculus dexterae ejus, i. e., dexter, qui majoris aestimabatur quam sinister, Matth. 5, 29. — כָּהָה hebetatus, obtusus est, de oculo hebetato occurrit Gen. 27, 1. Deut. 34, 7. Jos. 17, 8. Job. 17, 7.; non longe abit كهي imbecillis, pusillanimis fuit. Hebetatio oculi dexteri symbolum est perspicaciae hebetatae, ut duces seditiosorum, etsi sibi perspicacissimi videbantur, lugubrem belli exitum non praesagirent. Si mavelis vertere: arefiat, hebetetur, imprecatio nihilominus vaticinium exprimit, et sensus non mutatur, sed solum intenditur.

Versio Zach. 9, 1 — 11, 17.

I.

Expeditio Alexandri, per Syriam transeuntis, Zach. 9, 1 — 8.

Eloquium sententiae Jehovae in regionem 1
Chadrach, cujus requies erit Damascus (Jehova
enim oculum in homines, inprimis autem in om-

nes tribus Israelitarum fixum habet), et Chamath, quae ei contermina est, Tyrus et Zidon, 2
quae multum sapiunt. Nam Tyrus aedificat sibi 3
munimenta, et congerit argentum sicut pulverem, et aurum sicut lutum platearum. Verum 4
Dominus evacuabit eam, et robur ejus dejiciet in
mare, ac ipsa igni consumetur. Percipiet Asch- 5
kalon, et timebit; Gaza, et vehementer contremiscet; etiam Ekron, quia fustrata est spes ejus;
peribit autem rex ex Gaza, et Aschkalon non
habitabitur, ac Aschodi habitabunt spurii; „ex- 6
„scindam enim gloriabundos Philistaeos; demum 7
„autem removebo sanguinem ex ore ipsorum, et
„abominabilia ex dentibus eorum" (relicti itaque
erunt Dei nostri (populus) et sicut chiliarchae
in Juda, et Ekronitae sicut Jebusaei). „Ob exer- 8
„citum autem transeuntem et revertentem meta-
„bor castra ante domum meam, ne rursus irrum-
„pat contra eos dominator; nam nunc obtutum
„oculorum meorum in eos figam."

II.

Messias prorsus pacificus, bellatori Alexandro oppositus, Zach. 9, 9 — 10.

„Tu autem filia Zion exsulta vehementer! 9
„filia Jerusalem jubila! en rex tuus ad te veniet
„justus et salvatus, afflicus et vectus asino, pullo
„asinarum; nam exscindam currus ex Ephraim, 10
„et equitatum ex Jerusalem; exterminabuntur
„arcus bellici, quia praecipiet pacem gentibus,

„et imperabit a mari altero usque ad alterum,
„et a fluvio usque ad terminos terrae."

III.

Felicia Maccabaeorum bella, quae adventum hujus regis pacifici, seu Messiae, praecedent, ut adventui ipsius locus fiat, Zach. 9, 11 — 10, 12.

„Hinc o tu! (filia Zion et Jerusa- 11
„lem) ob sanguinem tui foederis dimitto vinctos
tuos ex cisterna sine aqua; (Dicam:) reverti- 12
„timini ad munimentum captivi spe! nam hodie
„annuncio: duplum reddam tibi. Nam Judam ten- 13
„dam mihi arcum, et imponam super eum Ephrai-
„mum; excitabo nempe filios tuos, Zion! contra
„filios tuos, Graecia! et faciam te (Zion) ut
„gladium herois." Jehova super eos apparebit, 14
et sagittae ejus ut fulgura exibunt; atque Dominus Jehova cornu classicum canet, et strages edet
in procellis austri. Jehova omnipotens proteget 15
eos. Hinc conculcantes lapides fundarum, vorabunt et potabunt, tumultuantes quasi (ebrii)
a vino, et pleni erunt (sanguine) sicut crateres (sanguine victimarum pleni), sicut anguli altaris (sanguine conspersi). Nam Jehova 16
Deus eorum illo tempore salvabit eos, sicut oves,
populum suum. Quanta erit ejus felicitas! et 17
quanta ejus claritas! Triticum juvenes, et mustum virgines multiplicabit. Petite a Jehova plu- c. 10
viam tempore serotino! Jehova mox faciet ful- 1

mina, et largam dabit pluviam pro gramine cujuslibet in campo.

„Quia Theraphim loquuntur falsa, fatidici 2
„praevident mendacia, et somnia significant fal-
„lacia, inaniter consolantur: ideo vagantur si-
„cut oves, opprimuntur, quia non est pastor.
„Super pastores exardescet ira mea, et in hir- 3
„cos animadvertam;" nam Jehova omnipotens
benigne respiciet gregem suum, populum Juda,
et faciet eum sicut equum, cujus laus est in bello.
Ex ipso erit angulus, ex ipso clavus, ex ipso ar- 4
cus bellicus, ex ipso omnis simul imperator pro-
dibit. Erunt in bello sicut heroës, (sicut) con- 5
culcantes lutum platearum; praeliabuntur (feli-
citer), quia Jehova eis assistet; confundent
vectos equis. „Corroborabo enim populum Juda, 6
„et salvabo populum Joseph, et reductis ipsis
„locum dabo habitandum, quia miserebor eo-
„rum, et erunt ac si eos nunquam rejecissem;
„jam ego Jehova ero Deus eorum, et exaudiam
„eos. Demum Ephraimitae quoque erunt instar 7
„heroum, et laetabitur cor eorum sicut a vino;
„filii etiam eorum videbunt et laetabuntur, et ex-
„sultabit cor eorum de Jehova. Sibilabo eis, et 8
„rursus multiplicabuntur, sicut (olim) multi
„fuerunt. Disseminabo quidem eos inter gentes, 9
„sed in remotis quoque regionibus mei erunt me-
„mores, et cum filiis suis beate vivent; demum
„revertentur. Nam reducam eos ex regione Ae- 10
„gypti, et congregabo ipsos ex Assyria, et ad-

„ducam eos in regionem Gilcatidis et Libani,
„ut non inveniatur eis" (locus ad habitan-
„dum sufficiens). „Tum transibunt mare 11
„angustum, et prosternentur in mari fluctus, et
„exsiccabuntur omnes profunditates fluvii. Celsi-
„tudo quoque Assyriae deprimetur, et sceptrum
„Aegypti recedet. Nam corroborabo eos per Je- 12
„hovam (per me), et in nomine ejus (meo)
„ambulabunt", est effatum Jehovae.

IV.

1. Vastatio regionis et Jerosolymorum generatim sistitur, Zach. 11, 1 — 3.

Aperi Libane portas tuas, et devorabit ignis 1
cedros tuas. Ejulate abietes, quia cedri cadunt, 2
quia excellentissimae evertuntur. Ejulate quer-
cus Baschan, quia sylva munita dejicitur. Vox 3
ejulatus pastorum (resonat), quia gloria eorum
vastatur; vox rugitus leonum (intonat), quia
vastatur magnificentia Jordanis.

2. Adjuncta quaepiam singularia hujus vastationis. Hebraei relinquuntur infestationibus gentium et dissidiis bellisque intestinis, quia gubernationem divinam parvi pendunt et fastidiunt, Zach. 11, 4 — 14.

Sic ait Dominus Deus meus: „pasce oves 4
„neci destinatas, quas emtores impune occidunt, 5
„et venditores dicunt: Jehovae sint laudes,
„nam ditatus sum; et pastores earum mini-
„me parcunt eis. Nam non porro parcam inco- 6
„lis regionis" est effatum Jehovae, „sed tradam

„homines, alterum in manum alterius et in ma-
„num regis sui, qui contundent regionem, nec
„eripiam de manu eorum." Pascebam itaque 7
oves neci dicatas, et sumsi mihi duos baculos;
alterum vocavi beneficentiam, et alterum
appellavi confoederatos; et ita pascebam
oves. Verum uno mense tres pastores sustuli; 8
nam animam meam taedebat eorum, et anima eo-
rum fastidiebat etiam me. Quapropter dixi: 9
jam non pascam vos; moriantur, qui-
bus moriendum est; exstirpentur, quae
exstirpandae sunt; et reliquae vorent
altera carnem alterius. Sumsi igitur bacu- 10
lum meum beneficentiam, et fregi eum, ut
irritum facerem foedus meum, quod cum omni-
bus populis pepigeram. Irritum itaque factum 11
est illo die, ut etiam mercatores ovium, qui me
observabant, agnoscerent, esse eloquium Jeho-
vae. Tum dixi: si vobis videtur, date 12
mercedem meam; sin minus, omittite.
Appenderunt itaque mercedem meam triginta ar-
genti (siclos). Jehova autem dixit ad me:
„projice istud (argentum) ad thesaurum; magni- 13
„ficum pretium, quo aestimatus sum ab eis!"
Sumsi igitur triginta argenti (siclos), et projeci
eos in domo Jehovae ad thesaurum (vel pro the-
sauro). Demum fregi baculum meum alterum
confoederatos, ut rumperem fraternitatem
inter Judam et Israel.

3. Adumbrantur duces seditiosorum, et sors Judaeorum omnium, Zach. 11, 15—17.

Tum dixit Jehova ad me: „assume rur- 15
„instrumentum pastoris inprobi; nam ecce con- 16
„stituam pastores in regione, qui pereuntes non
„requirent, abactas non quaerent, vulneratis
„non medebuntur, et subsistentes non enutrient,
„sed carnem pinguium comedent, et ungulas
„earum dilacerabunt. Vae pastoribus inanibus, 17
„oves deserentibus; ariditas super brachium eo-
„rum, et super oculum dexterum eorum; bra-
„chium eorum arefiet, et oculos eorum dexter
„hebetabitur."

Menda graviora.

			lege
P. VIII. L.	3 ab infra	conseo	censeo
— XIII. —	13 — —	ltbris	libris
2 —	11 ab infr.	praedtctum	praedictum
5 —	2 ab infr.	çaaestione	quaestione
16 —	8 ab infr.	ומלאך	וּמַלְאָךְ
20 —	7 — —	מכלכל	מְכַלְכֵּל
25 —	9 — —	נגה	נֹגַהּ
46 —	2 ab infr.	عمى	عمي
49 —	13 — —	ומשפמים	וּמִשְׁפָּטִים
72 —	3 — —	מוגש	מֻגָּשׁ
93 —	16 — —	כי	בֵּן
113 —	12 ab infr.	مغل	مُعْلٌ
116 —	14 ab infr.	soliditaie	soliditate
143 —	3 — —	ורוין	וְהָרוּיִן
159 —	4 ab infr.	βδελυγμα	βδελυγμα
172 —	9 — —	opionione	opinione
183 —	4 — —	וַתָּבֹן	וַתָּבֶן
186 —	8 — —	opere	operae
187 —	15 — —	מבטה	מֶבְטָה
210 —	2 ab infr.	עורר	deleatur
214 —	11 — —	Hoc	Hac
220 —	6 ab infr.	fatidiei	fatidici
232 —	11 — —	והבישו	וְהֹבִישׁוּ
261 —	7 — —	oxpendunt	expendunt
265 —	11 — —	instignante	instigante

Emendanda in Enchiridio Hermeneenticae.

				lege
P. 1.	versu	l. 1.	ὁδηγησε	ὁδηγησῃ
8	—	ult.	minis	minus
23	—	16	de	ad
103	—	9 ab infr.	בחב	בחר
122	—	12	spendide	splendide
126	—	15	divincire	devincire
136	—	6	numeralum	numeralem